NAZ. CENTR.
R. BIBLIOTECA VITT. EMAN. II
204
5 B
14
ROMA

A°

204.5.B.4

SANCTI DOROTHEI SERMONES XXI.

204.5.B.14

QVORVM ARGVMENTA ſequens ſexta pagina indicabit.

A CHRISOSTOMO CALABRO, Monacho Caſinenſi, è Græca in Latinam linguam tranſlati: atquè exactionis diligentia quàm hactenus emendati.



CREMONAE,

Apud Petrum Zennarium. M. D. XCV.

Cum conſenſu Superiorum.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS.

D. D. CAESARI SPECIANO EPISCOPO CREMONENSI,

ET NVNTIO APOSTOLICO Apud Cæſaream Maeſtatem, Domino meo Colendiſſimo.

CVM Beati Dorothei, viri doctrina & ſanctitate inſignis, nonnullos Sermones, qui paſsim non inueniuntur ab omnibus, prudentium, religioſorumq; virorũ ſuaſu nuper imprimi curarim; tibi in primis, Antiſtes vigilantiſsime, huiuſcæ meæ

diligentiæ, atquè operis fructum deberi intelligo. Etenim cuinam aptius dicentur ſcripta Archimandritæ (ſic namq; eum Græci appellabãt) quàm Paſtori Optimo, qui gregem ſibi à ſummo illo Paſtorum Principe concreditum vigilantia ſingulari ſapientiſsimè moderatur, ac paſcit? De Christiana perfectione tractant: at ipſe is es, quem Deus Optimus maximus in eo vitæ genere, ac ſtatu collocauit, qui perfectus in ſeſe ad cęteros Mortales virtute, ac ſanctitate perficiendos incumbit. Aureus igitur iſte libellus ſub clariſsimo tuo nomine appareat, Præſul Illuſtriſsime, quo & eluceſcat adhuc magis, & eius, qui ipſum tibi ſummiſsè dicat obſcurũ nomen, atquè humile, in tãtæ tuæ amplitudinis luce tutò, ac ſine offenſione prodire poſsit. Meæ verò, ac totius huius Ciuitatis partes erunt aſsiduè

 Deum

Deum precari, vt te non modo huic Vrbi, ſed vniuerſo Orbi Chriſtiano diu conſeruet incolumem; fortunetque nobis tuum ad nos reditum, quem præmaturum cuncti Ordines uotis omnibus expoſcunt.

Tuæ Amplitudinis

Humillimus ſeruus

Petrus Zenarius.

EPISTOLA CVIVSDAM DISCIPVLI BEATI DOROTHEI,

ad Fratrem quendam,

QVI TRANSMITTI SIBI ſummopere poſtulabat ſermones Abbatis verè ſancti Dorothei, nuper inuentos.

LAVDO equidem propoſitum tuum; beatum, ac felix iudico ſtudium iſtud, cui tu circa res bonas, & præclaras incumbis: inſuper & benedictam iſtam, pulchramque ac verè decoram animam tuam admiror, Frater deſideratiſſimè. Etenim tam accuratè, & ſtudiosè ſcrutari, tam ſyncerè & germanè commendare, approbareque verè beatum, ac Deo dignum patrem noſtrum, qui diuini mu-

neris

neris nomen referebat, quid eſt aliud, quàm virtutem ipſam commendare, & Deum vtiq́ue amare, ac de vera illa vita curam, rationemq́ue habere? Nam emulationis, & ſtudij rerum omnium bonarum cauſa, atquè adeò ſeminarium eſt ipſa laus, & commendatio, iuxta magni Gregorij ſententiam: Emulatio verò cauſa eſt virtutis: Virtus autem beatitudinis, & fœlicitatis. Gaudere igitur oportet, & planè congratulari huic tuo propoſito, atquè profectui. Illius enim perſcrutari, & indagare veſtigia, mihi videris, qui veri, manſueti & humilis corde fuerat emulator; quiquè & Petri mentem, & eiuſdem abrenuntiationem contemplatus, ita ſe ſe rerum omnium viſibilium affectibus abdicauit, atquè adeò nudauit, ita ſe ſuis; ſecundum Deum, patribus regendum, atquè formandum tradidit, vt ſumma fiducia, (quòd ipſe bene noui) poſſet ad Dominum vnà cum Petro ipſo dicere, Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Vnde diuino munere adiutus, breui admodum tempore, ita perfectus euaſit, vt multos annos expleſſe videretur; non ſenſibiles eremos, & vaſtas ſolitudines, ac montes incolens, non immitibus feris imperare magnifaciens; ſed animæ ſolitudinem, mentisq́ue quietem amplexatus; & ad montes illos æternos, qui mirum in modum illuſtrare nos, ac mirabile lumen effundere conſueuerunt, propius accedere, ſerpentumq́ue, ac ſcorpionum capita, qui animas perimunt, magis conterere, deſiderabat. Quæ quidem, auxiliante Chriſto, quamprimùm aſſequi meruit; ſuperata tamē,

ac penitus mortificata,certamine quodam athletico,propria voluntate. Id, quod rectam illi patrum ſemitam, & minimè erroneum maiorum iter conciliauit,ac præmonſtrauit: Necnon beatum illi,ac leue Chriſti onus, ſalutiferumque, ac re uera ſuaue iugum oſtendit. Inde optimam,& quæ ad ſublimia ducit,viam didicit;nempè,humilitatem ipſam, & illud, Miſericors eſto; ac benignus, & manſuetus (iuxta Sanctorum ſeniorum noſtrorum doctrinam) opere compleuit; atquè omnibus, ob id,decoratus eſt,& inſignitus virtutibus. Vndè ſemper illud in ore beatus hic vir habere conſueuerat, quod à ſenioribus nimirum ſuis acceperat;Quicunque voluntatem propriam abſcindere feſtinauerit,ad ſtatum quietis, & tranquillitatem mentis omnino perueniet: Simulac enim id,quod ſummo ſtudio, & ſedulitate quærebat,adinuenit,nempè,vitiorum omnium,ac vitioſorum affectuum eſſe φιγαυτίαν,ideſt,amorem proprium;eam amaro dulce voluntati noſtræ miſcentem,ac propinantem,efficaci quadam promptitudine, ceu pharmaco vſus, radicitus, cum prauo germine ſuo,extirpauit,& emarceſcere fecit: factusque rerum immortalium verus, ac ſyncerus agricola, veræ, atquè adeò cœleſtis vitæ fructus vberrimos edidit. Theſaurum verò, qui deliteſcebat in agro, & accuratè quæſitum inuenit, & inuentum poſſedit; ſaneq; rerum haudquaquam inanium effectus eſt prædiues. Itaque vellem profectò,& mente,& lingua ſatis eſſe, atquè idoneus,qui ſanctiſſimi huius viri vitam, per omnes

partes,

partes, (vt meretur,& par eſſet) ad communem omnium vtilitatem, & ad exactiſſimum virtutis exemplar, exponerem: Quouè pacto vir ille beatiſſimus, anguſtam,& latam vitam, ac præter omnium opinionem,& expectationem inceſſerit, recenſere poſſem. Quorum quidem alterum, ob ſyncerum, firmum, minimeque vagum, ac diſſolutum animi propoſitum, obtinuit, & ob vigilantem, nè in alteram præcipitij partem deuergeret, cuſtodiam: Sic enim Dei amicus, & verè magnus Baſilius ille anguſtiam viæ Dei, erumnoſæ quidem, atquè afflictionibus plenæ, ſed tamen ſalutiferæ, definiuit: Alterum verò, ob affectuum mortificationem,& ingenuitatem, ac fidem, qua erga eos, qui illum ad Deum dirigebant, vſus eſt, atquè in primis ob profundam, ſeu mauis excelſam humilitatem: Quæ ſola (iuxta magni Antonij ſententiam) omnes diaboli laqueos ſuperat, atquè euadit. Quibus rebus quàm veriſſimè in eo completum eſt illud propheticum, Latum mandatum tuum nimis. Verùm hoc quidem, vt qui ſim impar, & minimè potens, miſſum faciam, ac pertranſibo. Noui enim, præter reliquas omnes huius viri beatiſſimi dotes, & ea, quæ ab externis Philoſophis ipſe, velut apes, argumentoſa decerpebat; quæcunque illi vtilia, & commoda videbantur, in vſum ſalutiferæ eruditionis oportuno tempore diſcipulis ſuis alacriter propinabat. Vt eſt illud, Ne quid nimis: &, Tuam ipſius rem agito: & id genus alia. Ad quæ quidem,& ſi non propoſitum gratum, ac bonum,

num,neceſſitas tamen,& imbecillitas ingenij me compulit. Quod autem ſtudioſa & honeſtiſſima, atquè ornatiſſima anima tua mihi iniunxit, confiſus effeci; cùm & inobedientiæ crimen oneroſum,ac grauiſſimum non ignorarem, & negligentiæ mulctam formidarem. Itaque vna cum his literis, ad vos, diuino munere, trapezitas optimos,atquè peritos,talentum, quod apud me otioſum iacebat,tranſmiſi; nempè, adhortationes,& doctrinas beati viri nuper inuentas,quas & ipſe à maioribus & patribus ſuis,notatu & lectu dignas putauit;& quas diſcipulis ſuis ipſe quoquè tradidit,erudiens, & docens eos; imitatus, nimirum primum illum ac verum Magiſtrum, & Seruatorem noſtrum. Cæterùm, etſi omnes huius ſancti viri ſermones inuenire non potui; ſed admodùm paucos; & hos quidem ſparſim à ſtudioſis quibuſdam viris prouidentia quadam diuina collectos;huiuſmodi tamen exiguā paucitatem à me tibi appoſitam,& oblatam,non ingratam tibi pro tua humanitate fore putaui; iuxta illud, Da Sapienti occaſionem, & ſapientior erit. Quali verò propoſito fuerit hic beatus vir ad monaſticam vitam à Deo deductus; qualemuè conuerſationē, ac viuendi modum huic monaſtico inſtituto accommodatiſſimum, & ſcopo ſuo maximè congruum tenuerit, hinc patere arbitror. Erat autem mirum in modum affectus erga maiores, & patres ſuos.Summam amplexus erat rerum omnium abrenuntiationem,& nuditatem. Veram, ac germanam ſecundum Deum obedientiam ſer-

uabat.

uabat. Puritatem & munditiam confeſſionis tenebat; iuſtam, & omnibus numeris abſolutam habebat conſcientiam. Potiſſimùm verò indiſcretam quandam, ſed cum cognitione & ſcientia ſeruabat obedientiam, fidei conſtantia roboratam, & charitate perfectam. Erga fratres verò, & contubernales ſuos venerabilis erat, & affabilis; humilis, minimeq́ue elatus, aut vanus; nullam ſibi audaciam loquendi, ac libertatem concedebat. Atquè in primis nequaquam erat ſuſpicioſus, aut otioſus, nequè omnino contentioſus; quod quidem radix eſt, & cautio quædam, nè quenquam dijudicemus; ac dulciſſimæ, mellitæq́ue lętitiæ ſeminarium. Ad opera verò, & exercitia obeunda, ſtudioſus, & alacer erat; atquè aſſiduus, benignus, manſuetus, & mitis; atquè à turbatione alienus: Id, quod indicium eſt, & argumentum firmitatis, & conſtantiæ morum. Porrò circa res materiales, & actiones peragendas, diligens, & accuratus; ſeueritatemq́ue præſeferens, & elegantiam quandam modeſtam, minimeq; procacem. Præcipuè verò in rebus omnibus humilis erat, gratioſus, & gratus, fortis, & longanimis conſtãs, minimeq; ſeditioſus, ſobrius, ac vigilantiſsimus. dulcedine quadam mellita aſperſns. At quid opus eſt, me omnes virtutes eius ſigillatim percurrere? Profectò ſimile quid ego paterer, cum eo, qui pluuiæ guttas, & vndas maris enumerare conaretur. Iccircò ſermoni finem appoſui, nè in rebus alienis, & quæ ſupra me ſunt, uireſq; meas excedunt, audaculus uidear. Sed partem aliquam

uobis

vobis huiuſce dulcis inquiſitionis relinquam; vt quotquot eſtis, fruamini mecum his delicinis; ſimulque perdiſcatis, ex qua morum compoſitione, & beato inſtituto viuendi, ad diuinam eruditionem, & ad curam animarum, à prouidentia illa diuina, quæ regit & gubernat vniuerſa, perductus ſit hic pater. Pater, inquam, hic compatiens, miſericors, benignus, & pius; dignus ſanè, qui doceret, & illuminaret animas. Magna præditus erat intelligentia, magnaque ſapientia pollebat; ſed longè maior erat in religione, & pietate; ſublimis in contemplatione, & ſpeculatione rerum diuinarum; ſed ſublimior in humilitate: Diues in Deo, pauper tamen erat ſpiritu: Dulcis erat in ſermone; dulcior, ac ſuauior in congreſſu & conuerſatione. Peritus medicus ad quamuis ægritudinem, & curationem: Qui diuitibus, pauperibus, ſapientibus, inſipiẽtibus, fœminis, viris, ſenioribus, iuuenibus, afflictis, lætis, ſeruis, & liberis, ſanctam illam & variam, atquè adeò multiformem diſpenſationis gratiam diſtribuebat; omnibus omnia ſemper effectus, ut omnes, aut complures lucrarentur. Sed iam tempus eſt, Dilectiſſime, vt dulcem paternorum ſermonum tibi menſam apponam: Cuius compoſitio haudquaquàm laſciuè compta non parum (vt arbitror) legentibus proderit. Talis enim, ac tantus cùm eſſet, nempè, ſermone ſublimis, uir ille planè diuinus, humilibus tamen propter mandatum diuinum ſe accommodabat; oratione pedeſtri, & ſermone, ac dictione nõ admodum compta ſemper uſus eſt; atquè hoc illi

mirum in modum placuit. Tu autem nactus huius ſancti,ac minimè fucati ſtudij, fruere illis,labore & ſubſidio meo adiutus;& aſcende,atquè aggredere huius abs te deſiderati uiri regimen, atquè inſtitutum uiuendi:Necnon pro meo languore,& deſidia precare. Ego uerò demum de ſancti Doſithei uita,compendio dicam; qui beati Patris Dorothei primus Diſcipulus fuit;dum adhuc eſſet ſub Abbate Serido, & obedientiæ certamen ſecundum Chriſtum uiriliter decertaret.

INDEX.

SAncti Dorothei, de obedientia, & ſubmiſſione propriæ voluntatis. Sermo j. car. 9
De cordis humilitate, & modeſtia. Sermo ij. carte 22
De conſcientia. Sermo iij. 30
De diuino timore. Sermo iiij. 33
Nè quiſpiam propria ſe inſtituat, & informet ſapientia, & prudentia. Sermo v. 43
Quòd proximum iudicare non debemus. Sermo vj. 49
De accuſatione, & reprehenſione ſui ipſius. Sermo vij. 56
De ira, & iniuriarum memoria non habenda. Sermo viij. 63
De mendacio. Sermo ix. 68
Quòd viam Dei cum omni ſollicitudine, ſobrietate, & modeſtia, & conſideratione, ſeu circumſpectione currere debemus. Sermo x. 74
Vt paſſiones, & morboſos affectus excidere ſtudeamus, priuſquam in malum animæ habitum tranſeant. Sermo xj. 81
De timore futuri cruciatus; & quòd is, qui ſaluari cupit, nunquam ſalutis propriæ immemor eſſe debeat. Sermo xij. 89

Vt

Vt quietè, conſtanter, ac citra animi perturbatio nem, tentationes, & aduerſa feramus. Sermo xiij. 97
De ædificio, & congruitate, ſiue concordia virtutum animæ. Sermo xiiij. 104
Ad eum, qui adminiſtrandi penu curam habet, ſeu cellariæ. Sermo xv. 113
Ad quoſdam monachos celliotas, ideſt, cellam frequentantes, qui vtrum conuerſandum ſit cum fratribus ſuis, interrogabant. Sermo xvj. 115
Ad eos, qui in monaſterio prȩſunt; quomodo prȩeſſe fratribus oportet; & quomodo ſubditi obedire debeant. Sermo xvij. 118
De ſancto ieiunio. Sermo xviij. 121
Variæ, breues, ac compendioſæ ſententiæ. Sermo xix. 125
Epiſtola ad fratrem quendam, qui eum interrogauerat de ſtupore, & inſenſibilitate animæ; necnon de tepore, & frigiditate charitatis. 127
Honeſta monachi compoſitio. Sermo xx. 128
De planctu, humilitate, & quibuſdam alijs virtutibus. Sermo xxj. 131
Vita S. Doſithei, qui fuit primus D. P. Dorothei diſcipulus. 133

FINIS.

SERMONES SANCTI DOROTHEI, DE OBEDIENTIA, ET SVBMISSIONE propriæ voluntatis.

IN ipſo ſtatim orbis primordio, cùm hominem Deus creaſſet, in paradiſo illũ voluptatis (ceu ſacra refert hiſtoria) locauit; ornatum quidem omni virtutum genere, mandato tamen aſtrictum, ne de arbore ederet, quæ in medio ſita erat Paradiſi. His cùm frueretur ille paradiſi delitijs, orationi, contemplationiq́; rerum diuinarum vacabat, ingenti gloria, ſummoq́ue honore vallatus, ſanos habebat ſenſus, & integros, eamq́; tenebat naturæ formam & ſtatum, quem inde ab initio, cùm formaretur, habuerat. Fecerat enim hominem Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; nempe immortalem, liberoq; volũtatis arbitrio præditum, atque virtutum omni genere inſignẽ. Cùm verò Dei mandatum tranſgreſſus eſt, & de arbore illa ediſſet, de qua, ne guſtaret, præceperat ei Deus, deturbatus confeſtim, & à paradiſo illo depulſus, à naturæ ſuæ ſtatu decidit in eum, qui præter naturam eſt, hoc eſt, In peccatum, In honoris & gloriæ ſtudium, In præſentis vitæ, ac

voluptatis deſiderium, & cęterarum denique affectionum, atque animi ægritudinū incurrit ſeruitutem. Tradidit enim ſeipſum ſponte ſua affectibus illis mancipium, per diuini mandati trāſgreſsionem. Tunc igitur ipſa per omnes ſuas partes adaucta eſt malitia, creuit improbitas, regnū obtinuit mors; nuſquam religio, nuſquam pietas; perpauci quidam patres, & naturali quadam lege Deum agnoſcebant, veluti Abraham, & reliqui Patriarchæ, Noe, & Iob. & (vt breuiter dicam) non admodum multi erant, ſed perpauci, & rari, qui noſſent Deum. Tunc ſuam omnē prodidit verſutiam hoſtis humani generis. Quandòquidē omnis dominari cępit iniquitas, omnis impietas, impoſtura omnis, omnis denique latè craſſari cępit improbitas. Tunc cępta eſt Idololatria, & varius deorum cultus. Tunc cædes, & vniuerſus Diabolicæ fraudis effulſit apparatus. Hic tandem creaturę ſuæ miſertus Deus opt. max. legem in litterarū monumentis dedit per Moſem; Vbi quædam conceſsit, & prohibuit quædam, veluti dicens, Hæc agite, illa verò nequaquam. Dedit præterea illi mandata quædam. Identidem illud inculcans, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt; quo videlicet eorum animum, ac mentem à multiplici Deorum cultu reuocaret. Item, Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Vbique vnum eſſe Deum, nec præterea aliud deprædicans: Cùm enim ait, Diliges Dominum Deum tuum, Vnum oſtendit eſſe Deum, Vnum, eundemq; Dominum. Et rurſus

in Decalogis, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies,ſoli adhærebis, perq; ſolius nomen illius iurabis. Deinde ſubinfert,Non erunt tibi dij alieni, neq; prorſus ſimilitudo aliqua ex his,quę ſunt in cœlo ſurſum,neq; ex his,quę ſunt in terra deorſum. Colebant enim illi creaturas omnes. Dedit itaq; tunc homini Deus opt. max. legem ad opem illi ferendam, quò ſe ad verum Deum conuerteret, & malitiã, improbitatemq; coerceret, atque corrigeret: Nec tamen ob id ille conuerſus eſt.Miſit Prophetas, neque illi quicquam efficere potuerunt. Præualuit enim malitia,& (vt Eſaias ait) neque vulnus,neque vibex, neque tuberoſa plaga medicamen aliquod, aut oleum, aut ligaturas admiſit; ac ſi diceret, Non eſt particularis, aut vno tantum in loco prauitas hæc, ſed totum inuaſit corpus,totam occupat animam, vniuerſasq; vires eius amplectitur .Nõ eſt, inquit, medicamen apponere,& quæ ſequuntur, hoc eſt, Omnia peccato deſeruiunt. Iniquitas ipſa, & peccatum latè omnia tenet, ac dominatur. Ait etiam & Hieremias, Mederi Babiloni voluimus, nec medicamen aliquod,aũt curam admiſit,ac ſi diceret,Nomen tuum euulgauimus, præcepta tua, & monita adnuntiauimus, beneficia, pollicitationesq; tuas prædicauimus, hoſtiũ incurſiones,& imminentes ruinas Babiloni prædiximus,nec ſanata tamen eſt,aut conualuit, hoc eſt, non reſipuit, aut pœnitentiam egit, non timuit, neque à prauitate & malitia ſua conuerſa eſt. Quemadmodum, & alibi quoque dicit, Di-

ſciplinam non admiſerunt; hoc eſt,correctiones, monita, doctrinam omnē reiecerunt. Et in Pſalmo dicit, Omnem eſcā abominata eſt anima eorum, & ad ianuas mortis appropinquauerunt. Tunc igitur tandem clementiſsimus,atque amantiſsimus noſtri Deus, filium ſuum vnigenitum miſit. Nam huic tam graui morbo mederi, & huiuſmodi animorum affectus ſuperare,ſolius erat Dei. Id quod nè quidem ipſos latuit Prophetas. Vnde apertè id innuebat Dauid, cū diceret, Qui ſedes ſuper Cherubin, appare, excita potentiam tuam,& veni,vt ſaluos nos facias. &, Domine inclina cęlos,& deſcende;& id genus alia permulta. Etenim Prophetæ alij omnes,modo quiſque ſuo, hæc eadem identidem clamabant; partim quidem, vt deſcenderet,precantes;partim verò pleniſsima fide,certaq; perſuaſione venturum illum aſſerentes.Venit igitur tandem Dominus noſter, factus propter nos Homo, vt ſimile ſimili (iuxta Diui Gregorij Nazianz.ſententiam) curaret, ac ſaluum faceret; nempè animam anima, carnem carne. Factus eſt Homo;nobis per omnia ſimilis, peccato tantùm excepto. Ipſamq; noſtram ſubſtantiam aſſumpſit,& noſtræ maſſæ,noſtræq; compoſitionis primitias ſuſcepit;& effectus eſt nouus Adam ad imaginem & ſimilitudinem illius, qui condiderat eum. Renouat præterea denuo naturam ipſam, & corruptos iam ſenſus priſtinæ integritati reſtituit.Collapſum hominem Homo effectus inſtaurat,& peccati iugo ſubactum, violentaque ſeruitute depreſſum libertate donauit, ac

manu

manu miſit. Premebatur enim infœlix homo, ac violenta quadam Diaboli ſeruitute & tyranide agebatur; Inuitus, & quaſi nolēs, peccare (vt Apoſtolus Paulus in perſona noſtra aiebat) cogebatur. Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malū, id ago. Factus igitur Homo propter nos ipſe Deus, hominem ab inimici tyrannide liberauit. Nam omnem ipſius Diaboli virtutem, & robur ſubuertit, atque contriuit, ſuaq; nos libertate donauit, ne veluti mancipia in illius ſeruitutem redigeremur; niſi ſponte peccatis, & vitijs nos ipſos inuolueremus. Etenim poteſtatem elargitus eſt nobis, qua vel ſerpentes, vel ſcorpiones ipſos, atque adeo omnem inimici virtutem, & poteſtatem conculcaremus. Emundati nimirū ipſi prius per ſacroſancti Baptiſmi lauacrum ab omni peccatorum colluuie. Omnem enim peccatorum labem abluit Baptiſma prorſus, & detergit. Rurſus igitur, cùm benigniſsimus Deus noſtram non ignoraret imbecillitatem; ſed præſciret nos, poſt Sacroſanctum Baptiſma, denuò ad peccatorum ſordes relapſuros (Scriptū eſt enim, Prona eſt hominis cogitatio ad malum, & ab adoleſcentia ſua rebus peruerſis incumbit) elargitus eſt nobis ſua miſeratione, & pietate, præcepta quædā, & mandata ſalutifera, quibus nos emūdatos redderet, ac puros; vt ſi velimus, nō ſolùm à peccatis, ſed ab ipſis etiā affectibus, & animi perturbationibus, ſeu paſsionibus emūdaremur. Paſſiones autē, ſeu animi affectus, ij ſunt, ira, inanis gloria, voluptas, odiū, cupiditas praua, & id genus

alia permulta. Peccata verò, operationes ſunt,& effectus ipſarum paſsionum, quando, ſcilicet, promptè quis ea operatur,quæ ſibi à paſſionibus ſuggeruntur. Carere enim omnino affectibus, & animi perturbationibus,ſeu paſſionibus,ferè eſt impoſſibile. Non operari autem, vt illæ volunt & imperant,nō admodum eſt difficile. Dedit itaque nobis Deus (vt dixi) Sacroſancta præcepta, quæ nos à paſſionibus ipſis, ideſt, à prauis affectionibus, & ab his, qui in interiori noſtro ſunt homine, habitibus expurgaret. Indidit præterea homini benignitas illa diuina boni, maliq́; diſcrimen, atque iudicium; & expergefacit eum,ac veluti à ſomno excitat, Cauſasq́; illi, cur in peccatum relabatur, oſtendit, & ait. Lex vetuit,Ne ſis adulter; ego verò dico, Ne concupiſcas omnino thorum alienum, vel mulierem. Lex prohibuit,Ne occidas;ego autem dico,Ne prorſus iraſcaris proximo tuo. Nam ſi concupieris, tametſi hodie non perpetraueris,nuſquam tamen exagitare concupiſcentia illa deſinet,quoad te ad actũ illum impudicum,& illicitum pertraxerit. Si autem iraſcaris,& te ipſum aduerſus fratrem tuum concitaueris; cùm iam ad id perueneris, vt in eũ obloquaris, inſidias illi poſtmodum parabis, atque eò demùm ſenſim peruenies, vt occidas illũ. Rurſum ait lex,oculum pro oculo,& dentem pro dente, & quæ ſequuntur. Ille verò nos hortatur, & admonet, vt non ſolùm percutientis alapam animo præſenti, ac tranquillo ſuſcipiamus, verũ etiam alteram illi cũ humilitate maxillam porriga-

rigamus. Scopus enim legis erat, vt nos edoceret, non facere alijs, quæ ipſi minimè pati vellemus. Retraxit igitur nos Deus, atque prohibuit, ne malum ageremus, pœna talionis, ideſt, timore, ne idem & ipſi pateremur. Nunc verò illud à nobis exigitur (vt dixi) Odium, ſcilicet, extinguere, voluptatem, ac delicias abſcindere, ambitionem, & inanem gloriam, ac cæteras huiuſmodi animi ægritudines proſcribere penitus, & abijcere. Fuit itaque Chriſti domini noſtri finis, & ſcopus, vt doceret nos, cur ad hæc vniuerſa mala & peccata delapſi ſimus, cur ad hæc infelicia tempora deuenerimus. Primùm quidem (vt iam ſæpe dictum eſt) per ſacroſancti Baptiſmi lauacrũ nos liberauit, data nobis peccatorum omnium remisſione, ac conceſſa poteſtate, vt bene agere, ac probè nos gerere posſimus, modò velimus, ne quiſquam ſe poſt hac inuitum, aut per vim ad peccatum pertrahi dicere queat. Nam qui peccato deſeruit, opprimitur, & protrahitur ab eo, & (vt præclarè inquit Salomon) funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Deinde verò ſacris nos inſtruit, & docet præceptis, quo pacto emundari à pasſionibus ipſis, & affectibus animi valeamus, ne rurſus peccata, & omiſſa vitia repetamus. Poſtremò cauſam ipſam oſtendit; Vnde contemptum, & inobedientiam mandatorum Dei quis incurrat: & hic quidem medicinam nobis præſtat, quò parere facilius, & ſalutem aſſequi valeamus. Quæ nam igitur hæc eſt medela? & quæ cauſa contemptus? Audite quid ipſemet

dicat Deus noſter? Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. En, vt compendio hic radicem omniũ malorum, & cauſam vnico verbo nobis aperuit, & eius rei medicinam omnium bonorum cauſam oſtendit. Quandòquidẽm elatio deiecit nos, atq; ſuperbia;& fieri omnino non poteſt, vt miſericordiam, ac ſalutem alia via, quàm per oppoſitam, quæ humilitas eſt, aſſequamur. Etenim quemadmodum elatio, ac ſuperbia contemptum mandatorum Dei parit, & perniciosſam, atq; lethiferam inobedientiam, ita & obedientiam parit, & ſalutẽ animarum noſtrarum humilitas, atque animi lenitas, & demiſsio. Eam enim humilitatem dico, non quæ ſermone tantùm, & habitu oſtentatur, ſed animi affectum, atq; humile propoſitũ, quod eſt in corde & mente. Sic enim ait, Quia mitis ſum & humilis corde. Itaque, qui veram cupit animæ ſuæ posſidere quietem, humilitatem addiſcat, ideſt, animi lenitatem; conſideretq; omnem in ea poſitam eſſe animi lætitiam, omnem gloriã, omnemq; quiẽtem; vt in elatione & ſuperbia poſita ſunt omnia contraria. Vnde enim eſt, quòd ad huiuſmodi peruenimus afflictiones, & erumnas? Vnde tantum incurrimus calamitatum, & miſeriarum examen? Nonnè propter ſuperbiam, & animi elationem? Nonnè propter cõtumaciam, & arrogantiam noſtram? Nonnè propterea quòd malum adeſſe nobis propoſitum, atque conſilium ſuſtinemus, prauãq; electionẽ toleramus? Nonnè propterea quòd voluntatis amaritudinẽ præ-

dominari nobis patimur? Sed vnde quęſo id aliun de procedit ? An non conditus eſt homo in ſummis delicijs, in ſummo gaudio, in gloria & quiete ſumma? Nonne erat in Paradiſo illo voluptuoſo? Iuſsit illi Deus, hoc nè facias, at ille fecit. Vides ſuperbiam? Intueris ceruicem, & quidem duram, ac contumaciam? Animaduertis inobedientiam, & animum obtemperare neſcium? Proinde impudentiam illam Deus apertam intuitus, hic amens eſt, inquit, & ſtolid⁹; hic, quid gaudere ſit, penitus ignorat, ni malos experiatur dies; hic ita progreditur, vt funditus pereat. Niſi enim quid afflictio ſit, & anguſtia didicerit, quid ſit quies prorſus nō agnoſcet. Tunc merita illum pœna mulctauit, atque eũ è Paradiſo expulit. Itaq; traditus eſt amori proprio, propriæque voluntati, vt oſſa eius laboribus attererētur; ac tandem addiſceret, ſibi ipſi non credere, neque ſeipſum velle docere, atque inſtituere, ſed diuinis obtemperare mandatis, vt ipſa inobedientiæ afflictio, atque miſeria doceret eum quietem obedientiæ, veluti teſtatum habemus apud Prophetam, Docebit te rebellio tua. Benignitas tamen diuina (vt ſæpe diximus) facturam ſuam non ſpreuit, ſed rurſus conuertit, rurſus hortatur, rurſus dirigit, rurſus reuocat, atque ſolatur. Venite ad me, inquit, omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; ac ſi diceret, Ecce laboribus & erumnis depreſsi eſtis; Ecce miſeri effecti eſtis, & afflicti; Ecce inobedientiæ & contumaciæ veſtræ malum iam experti,

eſtis:

eſtis: Eia igitur poſt hac reſipiſcite, & conuertimini; Eia veſtram agnoſcite imbecillitatem, & impotentiam, vt in requiem veſtram & gloriam redeatis: Venite, & reuiuiſcite per humilitatem, qui per ſuperbiam & elationem morti iam obnoxij eſtis, & addicti: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Hem, fratres mei, quid agit ſuperbia & inſolentia: Papè quanta poteſt humilitas, atque animi demiſsio. Quid opus eſt huiuſmodi circuitu, & ambagibus? Principio ſi humiliatus fuiſſet homo, & Deo obtemperaſſet, ac mandata eius obſeruaſſet, haud quaquam cecidiſſet. Denuo poſt ignominioſum lapſum, exhibita eſt illi opportunitas reſipiſcendi, quò veniam, ac miſericordiam conſequeretur. Perſtitit tamen ille elata ceruice, nec demittere criſtas voluit. Venit nimirum Deus ad eum dicens. Adam vbi es? Ac ſi diceret, A quanta gloria, ad quãtam miſeriam & ignominiam delapſus es? Nec non interrogat eum deinceps. Vt quid peccaſti? Cur tranſgreſſus es? Excitans eum ſeparatim, atque exhortans vt diceret, Ignoſce domine. Sed nullibi eſt, Ignoſce domine; nuſquam humilitas, nuſquam reſipiſcentia conſpicitur. Imò contrarium potius. Nam ex aduerſo reſpondet. Mulier, quam dediſti mihi; Non dicit, Vxor mea decepit me, ſed, quam dediſti mihi; ac ſi diceret, Calamitas iſta, quam in caput meum induxiſti, vxor ſcilicet, fuit in cauſa. Hinc eſt, Fratres, qui ſeipſum accuſare non prævalet homo, ſed alium, imò Deum ipſum incuſat.

Inde ad mulierem ipſam pergit,& ait illi, Cur & tu præceptum meum non ſeruaſti?ac ſi apertè diceret. Dic & tu, Ignoſce mihi domine, vt humilitate demiſſus animus miſericordiam conſequeretur. Et tamen nuſquam,Ignoſce domine,auditur. Reſpondit & ipſa dicēs. Serpens decepit me; tanquam diceret, Hic peccauit; Ego quid commerui?Quid in me cauſæ,vel noxæ eſt? Quid agitis miſeri?Quid infęlices tergiuerſamini?Producite pęnitentiam: Reſipiſcite, Agnoſcite lapſum veſtrum: Miſereat vos nuditatis veſtræ. At neuter eorum dignum ſe accuſatione putauit: Neuter inuentus eſt, qui vel modicum humilitatis haberet. En igitur, Fratres, animaduertite quæſo ingenuè, quo veſtra progreſſa eſt poteruia,atque rebellio; Quò noſtra conditio, ſtatusq́; peruenerit. En qualia, quantaq́; & quàm multa incurrimus mala,dũ iuſtificare nos ipſos,& docere volumus; dum placere nobis ſtudemus; dum propriã explere voluntatem contendimus. Quæ quidem omnia ab ipſa, Deo inimica,ſuperbia proueniũt, atque gignuntur. Quemadmodum ab humilitate naſcitur ſeipſum accuſare, atq́ue reprehendere,proprio iudicio diſcredere,prudentiæ ſuæ non fidere,propriam abnegare, atque adeò odiſſe voluntatem. His enim humilitatis fructibus perfacile ſeipſum homo poterit reparare, atque in integrum reſtituere,& ad ſuam ipſius priſtinam naturam reuerti, ſacroſanctis Chriſti myſterijs, & præceptis expiatus. Neque enim diuinis obtemperare mandatis, neque quicquam boni agere,

aut

aut tandem ad bonam frugem, ſine cordis humilitate, peruenire valemus. Et (vt diuus Marcus Abbas aiebat) citra cordis contritionem, & deiectionem animi, fieri non poteſt, vt à malitia ſe quiſquam expediat, & emundet; vel vt virtutem aliquam omnino poſsideat. Si igitur per cordis compunctionem ſuſceperit quis mandata Dei, recedet procul dubio ab iniquitate,& malitia; & virtutes ipſas facile poſsidebit;ac demum ad priſtinam animi quietem, & tranquillitatem regredietur. Hoc cùm non ignorarent viri ſancti omnes, per humilem morum compoſitionem, perque humile viuendi inſtitutum, Deo ſe vnire,atque illi adhæreſcere, ſummo ſtudio, ſummaque diligentia,contendebant. Nam quidam eorum Deo amiciſsimi effecti ſunt, qui poſt ſacroſanctum Baptiſmum,non modo paſsionum aſſultus, & impetus reſecarunt,ſed ipſas etiam paſsiones, atque animi affectus radicitus auellere conati ſunt;& impaſsibiles omnino fieri viriliter ſtuduerunt. Quales fuiſſe credimus Antonium, Pachomium, & reliquos Deiferos patres. Quandòquidem erat illis ſcopus emundare ſe (vt inquit Apoſtolus) ab omni,tum animi, tum etiam corporis,inquinamento. Etenim cognouerant,animam non niſi per obſeruantiam diuinorum mandatorum (vt iam diximus) purgari poſſe. Mentem verò purgatam ſurſum intueri, & ad priſtinam illam ſuam naturalemque perfectionem reuerti poſſe aſſerebant. Nam præceptum domini lucidum eſt (vt ait Propheta) illuminans oculos.

los. Intellexerant enim viri illi prudentes,quòd, dum mundanam hanc, & ſecularem degerent vitam,nihil egregiè peragere, nec virtutem ipſam omnino conſequi poſſent;proinde nouum quoddam & peregrinum viuendi inſtitutum excogitarunt,vitamque admirandam,dico,Monaſticam & ſolitariam ſibi delegerunt. Cœperunt itaque mundum deſerere,ſeceſſus petere, vaſtas ſolitudines incolere,in ieiunijs,vigilijs, & in nuda terra dormitionibus, atque alijs innumeris afflictionibus carnem ſuam macerantes. Renuntiarunt denique rebus omnibus, patriæ, affinibus, pecunijs,agris,& poſſesſionibus,& (vt vno verbo concludam)mundum ſibi, ſeque mundo crucifixerunt. Nec tantùm diuina præcepta ſeruarunt, ſed & dona etiam ipſi Deo maximo obtulerunt. Quomodo autem id fiat ſubnectam:Chriſti pręcepta Chriſtianis omnibus data ſunt, & omnis Chriſtianus ea abſeruare tenetur. Veluti, tributa ſunt hęc regibus debita.Si quis igitur non perſoluerit hæc annua tributa Regibus,num pęnam effugiet?Sunt autē in ſeculo viri clari,& illuſtres, qui non modò annua tributa perſoluunt regibus ſed munera etiam ipſis offerunt. Atq; hi digni habētur honore magno,magnis donis, authoritate multa. Pari igitur modo patres noſtri,non modò præcepta ſeruarunt,ſed & munera etiā Deo obtulerunt.Munera enim ſunt Virginitas,caſtitas, & rerū omnium nuditas,atq; inopia.Hæc enim cùm nō ſint pcepta,dono offerūtur Deo.Neq; enim alicubi ſcriptū inuenit,Vxorē ne ducas,filios ne pro

crees.

creces. Neque verò rurſus præcepit Chriſtus dicẽs, Vende omnia, quæ habes. Denique cum ad eum veniſſet legis peritus dicẽs, Magiſter, quid faciendo, vitam æternam poſsidebo? Reſpondit, Mandata noſti, Non occidas, Nõ adulterium, vel furtum committas, Non falſum teſtimonium dicas contra proximum tuum, & quæ ſequuntur. Cùm verò reſpondiſſet ille, Hæc omnia ſeruaui à iuuẽtute mea; intulit Dominus, Si vis perfectus eſſe, Vende quæ habes, & da pauperibus, & quæ ſequuntur. Ecce non dixit, Vende quæ habes, veluti imperans, ſed veluti conſulens. Dicendo enim, ſi vis, non præcipit, ſed conſulit. Patres itaque noſtri (ceu paulo ante dicebamus) obtulerunt Deo, præter cæteras virtutes, etiam dona, Virginitatem, dico, caſtitatem, & rerum omnium terrenarùm nuditatem, atque inopiam, & (vt modò dicebamus) mundum ſibi ipſis crucifixere, dederuntq; operam, vt mundo ſeipſos crucifigerent: quemadmodum dicit Apoſtolus, Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Quid obſecro ſibi vult hæc differentia, crucifigere ſibi mundum, & crucifigi mundo? Mundus homini crucifigitur, cùm mundo abrenuntiat, ac, Vale, dicit homo: nempè cùm ſolitarius vitam degit dimiſsis parentibus, dimisſis pecunijs, dimisſis agris, & poſſesſionibus, relictis negotijs omnibus, & rerum copia. Tunc crucifigitur ipſi mundus, dimisſit enim, ac deſeruit mundum. Et hoc eſt, quod dicit Apoſtolus. Mihi mundus crucifixus eſt. Subinfert, ſtatim, & ego mundo. Quomodo igitur crucifi-

cifigitur homo mundo? Tunc nimirum, cùm reli-
ctis omnibus rebus exterioribus, certamen inijt aduerſus voluptates omnes, aduerſus concupiſcentias ipſas, aduerſus propriam voluntatem; ac ſuas ipſius paſſiones, & animi morbos enecat, atque eradicat. Tunc, inquam, ſeipſum mundo verè crucifigit. Tunc meritò poteſt cum Apoſtolo dicere; Mihi mundus crucifixus eſt, Et ego mundo. Patres igitur illi ſanctiſſimi, cùm mundũ ſibi crucifixiſſent, per dura certamina ſeipſos quoq; mundo crucifigere ſtuduerunt Nos autem putamus, mundum quidem nobis ipſis crucifixiſſe, quia reliquimus eum, & ad monaſterium perreximus. At nolumus interim mundo nos ipſos crucifigere: Adhuc enim eius voluptates & blanditias retinemus: Adhuc eius delicijs inhiamus: Adhuc eius inſanos motus, & affectus animo fouemus: Adhuc afficimur eius inani & mendaci gloria; eius opinionibus adhæremus; Cibis, & veſtibus mundanis adgaudemus. Si fortè fabrile aliquod inſtrumentum habuerimus, aut huiuſmodi res viles poſſederimus, immodicè illis afficimur; propenſo animo adhæremus. Et (vt diuus Zoſimas Abbas aiebat) ſtultè permittimus, vt inſtrumentum illud exiguum, ſeu res aliqua eiuſmodi viliſsima multarum fiat nobis occaſio rixarum, & ſeminarium perturbationum. Cenſemus, nos è mundo effugiſſe, & quæ mundi ſunt reliquiſſe, ſi ad monaſterium tantùm pergimus, cùm interim mundanos affectus, vel ex viliſſimis ac contemptibilibus rebus explemus, & exaturamus.

mus. Quod ſanè nō niſi ex amentia multa, & ſtoliditate prouenit; vt, qui magnas & pretioſas res dimiſimus, minimis quibuſdam, & vilisſimis noſtros affectus, & vana deſideria expleamus. Quiſque enim noſtrum id, quod hàbebat, reliquit. Qui multa posſidebat, & magna, multa & magna reliquit; qui tenuia, & exigua, quicquid tandem illud erat, reliquit. Quiſque pro viribus ſuis, quod habebamus, reliquimus, & monaſterium adiuimus; & (vt modò dicebam) vilisſimis, ac nullius pretij rebus affectus noſtros, ac deſideria vana explere contendimus, atq́ue connitimur. Non ita certè inſanire debemus, Fratres, ſed quemadmodum abrenuntiauimus mundo, & negotijs eius omnibus, Vale diximus; ita & affectibus noſtris omnibus, ac paſsionibus abrenũtiare prorſus debemus. Nec non ſcire oportet, quid ipſa ſibi velit abrenuntiatio, quid ſit profeſsio noſtra, cur mònaſterium adiuimus, quid habitus ipſe noſter, ſeu veſtimentorum forma ſignificet, atque præmonſtret; nosq́; ipſos ad eam formam, & modum componere, & more patrum noſtrorum viriliter, atque obnixè certare. Habitus ſeu veſtitus noſter is eſt, Colobium, ideſt, curta, & truncata veſtis absq́ue manicis, Zona pellicea, Analabus, ideſt ſuccinctoriũ, ſeu bracchiatorium, & cucullus. Hæc autem ſymbola ſunt quædã, quæ quid portendant, ignorare non expedit. Decet enim noſſe, quid innuat indumentorum noſtrorũ forma. Cur autem ipſi colobiũ geſtamus abſque manicis, cùm cæteri omnes manicas geſtent? Quòd

verò

verò nos manicas non habemus, ſigna ſunt manuũ:Manus enim ad practicen pertinẽt.Quando igitur cogitatio aliqua operandi,ſeu manibus cõ trectandi quicquam eorum, quæ veteris erant hominis,nobis inceſſerit;puta furandi,aut conuiciãdi,vel aliquem contemnendi,aut (vt breuiter dicam)peccatum aliquod,ſeu ſcelus manibus perpetrandi,cogitatio ſurrepit;tunc luſtremus animo, atque oculis,quæ veſtium noſtrarum ſit forma; & diſcamus abeſſe nobis manicas,ideſt, non habere nos manus ad operandum quippiam eorum, quæ veteris erãt hominis. Habet & Colobium noſtrũ ſignum purpureum. Quid tandem ſibi vult ſignum hoc purpureum? Quicunque enim Regi militant,purpuram geſtant in clamide illa ſua militari. Quandòquidem enim Rex veſtem geſtat purpuream; quicunque ſub eo militant, purpuram apponunt ſagis ſuis,hoc eſt,ſigna quędam ex regio indumento,vt per hoc innuant,atq; omnibus palàm faciant, ſeſe regios eſſe milites, & Regi commilitare. Ita & nos ſignum purpuræ aſſumimus in Colobium,innuentes,nos in Chriſti militiam aſcitos eſſe, ac proinde debere eaſdem pro eo afflictiones,& incomoda æquo animo perferre,quæ pertulit ille pro nobis. Cùm enim dominus noſter Ieſus paſſus eſt, purpuream veſtem portauit: Primùm quidem, vt Rex,ipſe enim eſt Rex omnium regnantium, & dominantium dominus. Secundò autem, vt deluſus ab impijs, & prophanis.Nos igitur habentes hoc ſignum,nempè colobium, omnes afflictiones eius, & incom-

moda perferre(vt dixi)iubemur. Et quemadmodum miles haud quaquam dimiſſa militia ſua, agricola fit,aut mercator: Sic enim militia ſua excideret.Nã(vt ait Paulus)Nemo militãs implicat ſe negotijs huius vitæ, niſi vt Imperatori ſuo placeat:Ita,& nos,ſi veri certatores, & Chriſti milites eſſe velimus, adhoc totis viribus incumbamus,vt mundũ hũc, & quę ſunt mundi,cõtemnamus; nullaq́; ſeculi huius cura & ſolicitudine tangamur. Sed ſoli Deo placere,adhærere, & ſeruire ſtudeamus,vt ſit,quod dicitur, Virgo aſsidens,& immobilis,ac ſine vlla diſtractione. Habemus autem & Zonam circa lumbos noſtros. Quid obſecro ſibi vult Zona?Primùm quidem zonæ ſymbolum ſignificat, vt ad quoduis opus bonum accincti ſimus,ac parati. Quicunque enim operaturus eſt aliquid, primùm quidem Zona ſuccingitur, & ſic demum opus aggreditur;vt illud teſtatur,Sint lumbi veſtri Zona pręcincti.Secundò verò,vt quẽadmodum ex pelle mortua Zona conficitur,ita & nos voluntates noſtras omnes,omnesq́; delicias, & illecebras,ac deſideria carnis mortificemus.Geſtatur enim zona circa lumbos,& renes. Ibi nimirum nerui ſunt quidam,in quibus vis illa animæ noſtræ ſita eſſe dicitur,quæ compuſcibilis nuncupatur:& hoc eſt quod dicit Apoſtolus,Mortificate membra veſtra,quæ ſunt ſuper terram,fornicationem,& immunditiam,& cætera, quæ ſequuntur. Habemus & Analabum;Analabus in modum crucis ponitur ſuper humeros noſtros. Significat enim ſymbolum crucis,quam noſtris humeris iu-

giter

giter geſtare debemus;iuxta id,quod dicitur, Tolle Crucem tuam,& ſequere me. Quid verò aliud eſt crux,quàm perfecta,& abſoluta mortificatio? Quæ quidem,non, niſi per fidem in Chriſtum rectè à nobis geritur.Fides enim(vt à Maioribus ac ſenioribus noſtris accepimus) ea comprimit ſemper,& amouet,quæ poterunt eſſe impedimento; & liberam nobis reddit, ac facilem operandi viã, quæ nos ad perfectam hanc,qua de agitur, mortificationem deducit.Hoc eſt, vt ſeipſum quiſque à ſeculi huius rebus omnibus exuat,atque omnino mortificet,& illarum amorem, ac deſiderium deponat.Si enim parentes reliquerit, hæc eadẽ mortificatio in fide fundata, efficit, vt vel illorum affectum,& deſiderium radicitus è corde diuellere cõtendat. Simili modo,ſi pecunias, ſi latifundia,ſi denique rem quamuis aliquam deſeruerit, & abrenũtiauerit,vult,vt deſiderio pariter, & affectui illius rei abrenuntiet prorſus, & vale, dicat. Hæc enim vera & perfecta eſt(vt paulo ante dicebam) abrenuntiatio.Geſtamus autem & Cucullũ,quod ſymbolum quidem eſt innocentis animi, puri,& verè humiliati.Pueri enim infantuli, & innocentes cucullum geſtare ſolent,non viri perfecti.Nos autem præterea illum geſtamus,vt malitia ſimus paruuli,vt ait Apoſtolus, Nolite pueri eſſe mente & ſenſu,ſed malitia eſtote paruuli. Quid verò eſt paruulum eſſe malitia?Paruulus abſque malitia eſt,etiam ſi contemnatur,non iraſcitur: ſi honore afficitur,non in vanam gloriam effertur; ſi rebus ſuis ſpolietur,non dolet, neque affligitur.

Paruulus enim eſt malitia. Non vlciſcitur iniuriam, non gloriam affectat inanem. Eſt etiam Cucullus diuinæ gratiæ ſymbolum: quoniã quẽadmodum cucullus tegit ac fouet pueruli caput, ita & Dei gratiâ mentem noſtram tuetur, & fouet, vt maiorum noſtrorum monumenta teſtantur. Eſt igitur cucullus ſignum gratiæ Seruatoris noſtri Dei, mentem noſtram tuentis, ac protegentis, nec non ſimplicitatem noſtram & innocentiam, quæ in Chriſto eſt, circumfouentis, propter eos, qui nos quotidie vulnerare ac deuorare conãtur. Ecce Zonam habemus circa lumbos pelliceam; Quod irrationalis appetitus, & concupiſcentiæ mortificationem ſignificat. Nec non Analabum, ideſt ſcapulare, quod ab humeris dependet, & crucem ipſam ſignificat. En & cucullum geſtamus, id innocentiæ, & puritatis ſignum prætendit, & Chriſtianam infantiam, ac ſimplicitatẽ præmonſtrat. Itaque vitam noſtram, Fratres, iuxta veſtimentorum typum, & formam componamus, nè veluti perſonati figurã alienam circumferamur: ſed, vt magna dimiſimus, ita & parua deſeramus. Reliquimus mundum, relinquamus pariter & affectus, quos erga mundum, & mundi illecebras habere conſueuimus. Nam huiuſmodi affectus (quod ſæpe diximus) plerunque etiam ob minimas quaſdam, & viliſsimas, ac nullius pretij res mundo nos alligant, & connectunt: Quod miſeri nos, & cæci vix animaduertimus. Cęterũ, ſi nos abſolui ab hoc ſeculo volumus, & perfecta libertate donari, perdiſcamus in primis, &

volun-

voluntates noſtras frangere, & abnegare; & ſic paulatim diuino ſuffulti præſidio ad eum profectum tandem perueniemus, vt nullius rei terrenæ, & caducæ tangamur amore; & beatam illam animi impasſibilitatem, ac tranquillitatem poſſidebimus. Nihil enim adeò homines iuuat, quã vt proprias amputent, & abrumpant voluntates. Sanè verò hac ratione, & hac via ad omnem profi ceret quis virtutem: &, quemadmodum ſi viator iter aggreſſus ſcipium reperiat, huic innixus iter illud ſuum plurimùm accelerat, & ſumma facilita te perficit; Ita eſt & qui propriæ voluntatis frangendæ, ſeu abſcindendæ laborioſum iter, ſed innumeris fructibus plenum, aggreditur. Nam ſi propriam voluntatem quis abſciderit, atque abnegauerit, perfacilè pasſiones & affectiones ſuas domabit, & beatam illam tranquillitatem & impaſſibilitatem animi posſidebit. Etenim breui quilibet ſpacio (modò velit) ſuas amputare voluntates, & ſeipſum decies abnegare perfacilè poterit. Quomodo autem id fiat, edocebo: Obambulat quiſpiam, & aliquid fortè conſpicatur, ſuadetur actutùm à cogitatione, vt illud aduertat. At is (ſi ſapit) cogitationi, & ſuaſioni illi repugnat, ſeq; auertit, & dicit, Certè non aduertam, neque id penitus conſiderabo. Rurſus offendit quis aliquos nugis, & varijs rumoribus occupatos, & ait illi cogitatio cordis ſui, Dic & tu verbum aliquod immiſce te huic turbæ: At ille negat ſe id acturũ, & voluntatẽ ſuã abrumpit prorſus. Iterũ dicit ei cogitatio, Adi çocũ, & interroga quid paret obſo-

nij: At ille non adit, nec voluntati illæ ſuæ obtemperat. Item cernit fortaſſe quippiam, ſuadet illico cogitatio, vt interroget quis nam illud attulerit: At ille negat, & voluntati ſuæ repugnat, appetitum comprimit, nec percunctatur omnino. Atque ad hunc modum, ſi voluntates proprias frequenter præciderimus, breui fiet, vt quæcunq; nobis aduenerint, perfacile illa præcidere (ſi voluerimus) aſſueſcamus; & à paruis quidem, ac minimis inchoandum eſt, vt iam, ſumma cum requie, maiora, ac maxima præcidamus. Sic demum ad id perueniemus, vt voluntatem propriam penitus non habeamus: Sed ſi quid factum fuerit ab alio, ita nos quietos reddat, & pacatos, ac ſi à noſtra proficiſceretur voluntate. Et ad hunc modum, nolentes propriam explere volūtatem, inueniemur profectò illam ſemper expleuiſſe. Qui enim proprium nihil habet, aut ſuum, quicquid euenerit, proprium arbitratur ac ſuum; & ſic inuenitur (vt diximus) nullam penitus affectionem posſidere. Cumque nullam habeat affectionem omnino, tãdem (vt ſæpe diximus) ad impaſsibilitatem animi, & mentis tranquillitatem perducitur. Animaduertite obſecro, Fratres, parumper, quem ad profectum perducat nos præciſio voluntatis: Huius ſanè rei exemplar habemus beatū illum Doſitheum, qui à vita delicioſisſima & præmolli veniens, homo, ſcilicet, nullis diuinarum rerum doctrinis imbutus; cùm nihil penitus diuini ſermonis audiſſet; & tamen audiuiſtis, ad quemnã perfectionis apicem breui tempore peruenerit, dum

vnicam

vnicam amplectitur obedientiam, & propriã ſtudet præcidere, atque adeo abnegare voluntatem. Vidiſtis nè quomodo eum Deus glorificauerit, & clarisſimum oſtenderit mundo, atque inſignem; nec paſſus ſit illius virtutes obliuione deleri? Sed vni ex ſanctis illis Senioribus reuelauerit, qui eũ vidit inter cęteros illos ſanctisſimos viros cœleſti beatitudine perfruentem. Narrare libet & alterum vobis haud abſimile miraculum, quod hac noſtra tempeſtate factum eſt; vt intelligatis, obedientiæ & abnegatæ voluntatis virtutem, tantam eſſe, vt vel à morte liberare hominem queat. Cũ fortè aliquando apud Seridum Abbatem eſſem, venit diſcipulus cuiuſdam magni Senis ex partibus Aſcalonis, vt magiſtri ſui nomine illum interrogaret. Habebat hic in mandatis, vt ad Veſperam rediret in ſuam cellam omninò. Interea vehementisſima tempeſtas oborta eſt, maximi imbres, & horrenda tonitrua ſimilitudinem torrentis vehementer exundantis expreſſerant. Sub hęc redire ille ad cellam volebat, ſenioris ſui præcepto aſtrictus. Nos verò contrà obſecrare illum cępimus, ſerenitatem expectaret; aſſerentes, fieri non poſſe, vt in tam vaſtis aquarum inundationibus vitæ ſuæ ſalutem conſeruaret: At ille omnino perſuaderi non potuit, vt maneret. Poſtremò verò ad flumen vſq; cum eo progredi decreuimus; rati fore, vt, cùm reſtagnantem fluuium intueretur, mutato conſilio reflecteret iter ſuum. Iuimus itaque vnà cum eo; & cùm ad flumen peruenimus, exuit ſe confeſtim veſtibus ſuis, & eas ceruici con-

ci connectit,accinctusq; ſcapulari illo ſuo, præcipitem ſeſe in flumen illud impetuoſum dedit, & natare occœpit. Nos autem aſtantes formidabamus ne mergeretur,& periret. Ille verò natando perſtitit, & alteram in ripam ſubito delatus eſt. Reſumptisq; denuo veſtibus ſuis, poſtulataque illinc,& impetrata venia,impiger abſceſsit.Nos autem illius obedientiæ virtutem & vim contuentes,ſtupore & ecſtaſi oppreſsi permãſimus:Quandoquidem non abſque timore, & tremore illuc animum intendebamus. Ille verò fretus obedientiæ ſuæ viribus,illæſus, & abſq; vllo periculo prorſus euaſit,& ad cellam ſuam incolumis remeauit. Huic non abſimile eſt quod cuidam fratri monacho contigit, qui cum ab Abbate ſuo ad viculum quendam ad amicum pro quibuſdam rebus neceſſarijs amãdatus eſſet,etiam fortè vidiſſet ſe ab illius filia ſolicitatum, & penè adtractum in turpem commiſtionem,hac vna tantum voce clamauit, Deꝰ patris mei,libera me:ſtatimq; iuxta viã, quę ducit ad cellam,repertus eſt,& ad patrem ſuũ remeauit.Conſiderate obſecro,Fratres,vim virtutis obedientiæ. Conſiderate vim,& efficaciam verbi, Quantum,ſcilicet, afferat auxilij, vel patrem ſuum inuocare,& illius precibus ſeſe cõmendare. Vt ſimulac quis dicat, O Deus precibus patris mei erue me,& libera me, cõfeſtim iter ſuum inueniat. Quæſo conſiderate humilitatem,& obſeruantiam,atque pietatem amborum. Vterq; enim eorum anxius erat, & dubius; & volebat quidem ſenex fratrem mittere pro rebus neceſſarijs ad

amicum;

amicum; nec tamen volebat dicere, Vade; ſed vtrum ire vellet percontatus eſt; Neque item frater reſpondit, Vado;ſed dixit ei, quicquid iuſſeris,faciã,pater. Verebatur enim ex vno latere,nè ſcandalum aliquod committeret; ex altero verò patri ſuo non obtemperare formidabat. Poſtremò verò cùm ambo plurimũ eſſent arctati, & anxij. Dicit ad eũ ſenex,ſurge,& actutùm perge. Nec dixit ei,ſpero in Deũ, quòd te proteget; ſed dixit, ſpero quòd propter orationes patris mei proteget te Deus. Simili modo & Monachus ille, non dixit,O Deus eripe me,& libera;ſed ò Deus, propter orationes patris mei eripe me, & protege me. Vterq; autem eorum plus orationibus & precibus paternis, quàm ſuis proprijs confidit. Quod vtiq; ex humilitate cordis nimia prouenit. Intuemini igitur, vt humilitatẽ obedientiæ ij ambo copularunt? Quemadmodũ enim currus duobus equis iungitur,vt commodè trahatur, nec alter alterum,ſi claudicauerit,præcedere, aut anteuertere poterit; ita obedientiæ coniunctam omnino eſſe oportet humilitatem. Qua quidẽ gratia quonã pacto quiſquam fieri vnquam dignus poterit,niſi proprias ante aſſueſcat præcidere,& abnegare voluntates?ſeq; ipſum patris ſui(poſt Deũ) regendum atque formandum dederit arbitratui, & nè latum quidem vnguem ab illius abſceſſerit volũtate? Sed quicquid tandẽ facturus eſt,cũ omni fidei plenitudine,ac certitudine,ſenioris ſui iudicio,& voluntate faciat,nõ ſecus ac iudicio,& voluntate diuina. Quemadmodũ hi,quos modò diximus,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ximus,factitarunt. Hic ſalutem,hic miſericordiã conſequi haud indignus habetur. Memoria celebratur,quòd,cùm diuus Baſilius ſua percurreret, & inuiſeret cœnobia, cuiuſdam monaſterij Præpoſito dixit;Habes ne aliquem,quem ſaluandum putes? Ait illi Abbas, Orationibus & precibus tuis domine,omnes ſpero fore, vt ſalutem conſequãtur.Ait illi rurſus diuus Baſilius, Eorum,qui ſunt digni,vt ſalutem aſſequantur, habes nè aliquem?Ille verò cogitabundus,(cùm eſſet etiã ipſe ſpiritualis)ait certè habeo,intulit ſanctus;Eia adducito eũ ad me. Venit ille Frater;& ait B. Baſilius,Da vt pedes lauer.Abijt ille,& áquam attulit,qua lauaretur. Vbi aũt lotus eſt ſanctus,ſumit & ipſe peluim, & ait Fratri, Sine, vt ipſe te quoq́ue lauem:Ille verò,abſq; vlla diſceptatione, ſimpliciter paſſus eſt à ſancto lauari. Poſtquam igitur de illius virtute,hac in re,periculum fecit; dicit ei rurſum,Cùm fuero ſacrarium ingreſſus,veni,& ſuggere mihi,vt eligam te,& conſtituam ſacerdotem.Rurſus ille ſimpliciter, & abſq; vlla hæſitatione obtemperauit; Cumq́; vidiſſet B.Baſiliũ ſacrarium ingreſſum, abijt ſimpliciter,& in memoriam,quod illi præceperat,reuocauit.Tunc B. Baſilius ſecum illum aſſumpſit,& perpetuum ſibi comitem,ac ſocium aſciuit. Quem enim aliũ decebat cum tam ſanctiſſimo & Deifero viro degere,quàm ita benedictum,& ſanctum monachum? Vos autem Fratres, huiuſcemodi obedientiæ indiſcretæ,& abſq; vllo delectu penitus eſtis expertes,& ignari.Nec proinde noſtis, quanta ſit eius

requies & refectio, quanta animum illa recreet conſolatione,& iocunditate conſoletur. Interrogaui ego quondam Abbatem ſenem Ioannem, diſcipulum Abbatis Barſanuphij,dicens,Quoniam Pater,refert ſcriptura,per multas nos tribulationes oportere ingredi in Regnum cęlorum;nec video aliquam me ſuſtinere tribulationē; quid igitur faciam,nè perdam animam meam , qui nullā patior afflictionem,nullam ſolicirudinē , vel anguſtiam ſentio; tametſi cogitatione hac pręmor? Idq́; per litteras ſciſcitabar,atq; inter ſcribendū, leuamen magnum,ac magnam vtilitatem ſentiebā;tanta erat ſecuritas animi, & mentis tranquillitas.Neſciebam enim virtutis vim & potentiam: propterea,cùm nihil afflictionis & tribulationis ſentirem,formidabam.Quod cum Seniori per litteras ſignificaſſem, ita ille mihi nodum aperuit, & reſpondit,Nihil vereare fili,nihilq́; formides,ſi nullis moleſtijs,& afflictionibus angaris,ſi tribulationes non ſentis vllas: Nam quicunq́; ſe Patrū obedientiæ totum dediderit,quicunq́; ſeſe alieno arbitratu & iudicio formandum , atq; regendum permiſerit,hanc animi tranquillitatem, hanc indolentiam procul dubio ſentiet, & hac mentis quiete fruetur.Deo noſtro gloria in ſecula. Amē.

F I N I S.

DE CORDIS HVMILITATE, ET MODESTIA.

SERMO II.

QVidam ex Senioribus, frequenti ſermone, aſſerere ſolebat, Humilitate cordis ante omnia nobis opus eſſe; oporteretq; nos ita promptos eſſe,& animo paratos, vt auditis quibuſcunq; in nos prolatis verbis, humiliter dicamus, Ignoſce mihi frater. Quandòquidem Humilitate cordis omnia inimici,& aduerſarij noſtri tela confringuntur. Perquiramus obſecro pauliſper, quæ nam ſit vis ſermonis huius ſenioris? Cur enim dixit, Ante omnia nobis humilitate cordis opus eſſe, & non potius temperantia,& continentia? Ait enim Apoſtolus, Qui in certamine contendit, ab omnibus ſe temperat,atq; continet. Aut cur non dixit, ante omnia opus eſſe nobis Timore Dei? Dicit enim ſcriptura, Initium ſapientiæ eſt timor domini,ac rurſus. Timore domini declinat quiſque à malo. Initium,& finis eſt timor domini. Vt quid item non dicit,ante omnia nobis opus eſſe Eleemoſina,vel Fide? Dicitur enim, Eleemoſinis,& fide purgãtur delicta hominum, & Apoſtolus ait, Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Si igitur fieri nõ poteſt vt abſq; fide placeamꝰ Deo; & eleemoſinis.& fide purgantur peccata hominũ;& timore domini decli-

cli-

clinat quiſq; à malo; &, Initium ſapientiæ eſt timor domini; & qui certat, in omnibus ſe tẽperat & continet. Cur tantopere hic nobis ante omnia Humilitate cordis opus eſſe, dicit, illis omnibus prætermisſis, vſq; adeo neceſſarijs? Opinor voluiſſe nobis innuere ſenem, quòd neque ipſe timor Domini, neque eleemoſina, neque fides ipſa, neq; temperantia vel cõtinentia, neq; quæuis alia virtus abſq; cordis humilitate poteſt egregiè fieri, aut cùm laude exerceri. Hac igitur de cauſa bonus ille Senex aſſerebat ante omnia nobis opus eſſe cordis humilitate, & vt parato animo ſimus, auditis quibuſcunq; verbis in nos prolatis, & contortis, humili corde dicere. Ignoſce mihi frater. Nam humilitate cordis vniuerſa hoſtis & aduerſarij noſtri tela frangũtur. En fratres, intuemini quanta ſit veræ humilitatis potẽtia. Videtis quænam ſit efficacia huius verbuli, Ignoſce mihi? Cur autem diabolus dicatur non ſolum hoſtis, vel inimicus, ſed aduerſarius etiã? Hoſtis quidẽ dicitur, vel inimicus, propterea quòd odio proſequitur homines: Odio proſequit quicquid boni eſt vſpiã & honeſti, & ſtruit omnibus inſidias. Aduerſarius autẽ nuncupatur, quia ad omne opus bonum & honeſtũ impedimẽto nobis eſſe conat. Vult quis ad Deũ precationes ſuas fundere? Actutũ aduerſarius ille malignus opponitur, & per malas cogitationes, & concupiſcentias, per varias mentis captiuitates, ſeu diſtractiones, per ſocordiam, & inertiam impedimento illi eſſe contendit. Vult quiſpiam exercere erga proximum miſericor-

diam?

diam?Statim per auaritiam & parcitatem ille impedire opus bonum ſtudet. Optat quis vigilare? Confeſtim ille per quandam ignauiam, & torpedinem,ac ſomnolentiam impedire nõ ceſſat.Breuiter in quauis re,quam aggredimur,bona, malignus ille hoſtis aduerſatur,& repugnat. Propterea nõ modò hoſtis & inimicus dicitur, ſed aduerſarius etiam nuncupari cõſueuit.Humilitate igitur cordis(vt dictũ eſt)aduerſarij noſtri tela omnia, & omnes eius molitiones, ac conatus extinguuntur,& pereunt. Magna re vera eſt mentis humilitas;nec vllus vnquam fuit ſanctus, qui per veræ humilitatis viam non inceſſerit, & labore nimio,itineris longitudinem contraxerit, ac veluti in compendium redegerit;vt dicitur, Vide humilitatem meam,& laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea. Si quidem breui compendio, vel ſola cordis humilitas ad perfectionis viã introducere nos poterit,vt prçclarè Ioãnes ille Abbas ſenex aiebat.Humiliemur itaque & nos, Fratres,pauliſper,vt ſalutem animæ noſtræ cõſequamur. Et ſi propter imbecillitatem laborare non poſſumus,humiliare ſaltem noſipſos ſtudeamus. Confido enim in Domini miſericordia, quòd, ſi modicam hanc & breuem amplexati fuerimus humilitatem, inueniemur & nos inter Sanctorũ illorum choros,qui innumeris laboribus ſe affligentes,Domino ſeruierunt.Demus,nos impotentes & imbecilles eſſe,ac nimia corporis debilitate,laborare non poſſe;ſed num humiliare nos ipſos non poſſumus?Beatus eſt profectò,Fratres,&

verè

verè beatus,qui cordis humilitatem ampleĉtitur. Eſt enim humilitatis virtus immenſa, quam optimè definiuit Sanĉtus ille, qui veram in ſe uirtutẽ humilitatis habebat, cùm dixit, Humilitas non iraſcitur,neminem irritat,ſeu ad iram prouocat, humana eſt,& benigna; ac videtur quidem veluti noua res eſſe,& peregrina. Humilitas enim inani gloriæ aduerſatur,& quaſi ab ea hominem ſeruat immunem. Iraſcitur quis pecuniarum vel ciborũ gratia: Quare igitur dicitur,humilitas non iraſcitur,neq; irritat quemquam? Magna profeĉtò res eſt humilitas cordis,& (vt modò diximus) adeo potens & efficax,vt gratiam Dei in noſtram animam queat attrahere. Ipſa verò poſtmodum gratia Dei,cùm aduenerit,animam ab his duabus,& quidem grauibus paſſionibus, iraſcendi,ſcilicet, & irritãdi,protegit,& tuetur. Quid enim grauius eſt,& moleſtius,atque adeo inſuauius, quàm ira eſcandeſcere,vel proximum irritare? Sanè dicebat Euagrius Abbas, Alienum eſſe prorſus à Monacho,& quaſi peregrinum,iraſci. Et certè res ita habet; Niſi enim quamprimùm hic reſipiſcat, & humilitate veſtiatur,ſenſim prolabitur in ſtatum & conditionem diaboli, qui continuò turbatus, continuas ingerit alijs turbationes. Propterea igitur ait,Humilitas neque iraſcitur,neque ad iram prouocat quemquam. At verò quid eſt,quod ego dixi,humilitate nos protegi ac liberari à duobus his animi affeĉtibus,iraſcendi, ſcilicet,& irritandi? Imò verò ab omnibus etiam animi ægritudinibus,ac perturbationibus,& tentationibus cen-

ſeo liberari animam noſtrã poſſe humilitate cordis,ac protegi, non tantùm ab his duabus. Cùm cerneret beatus Antonius tot dæmonis laqueos vndequaque tenſos,& gemebundus interrogaret Dominum, Quis eſſet,qui tot poſſet euadere laqueos?Reſponſum accepit à Domino,Sola humilitate hos omnes laqueos, & diaboli inſidias euiri poſſe; & aliud quoddam admiratione dignum adiecit,nempe hoc,Neque eam omnino contingere poterunt.Cernis ſtabile atque adeò potens fundamentum?Cernis gratiam virtutis? Re vera nihil eſt cordis humilitate firmius, nihil robuſtius, nihil deniq́ue ſolidius.Quandòquidem nihil eam ſuperat,nihil eam vincit,aut proſternit. Quòd ſi moleſti quippiam viro humili & demiſſo contigerit,confeſtim ad ſe reuertitur,ſe contrahit,ſecum habitat vir humilis corde, ſe dijudicat, & quauis pęna,& ſupplicio dignum ſe cenſet;nec vult quenquam accuſare,nec cauſam reijcere in alium patitur.Proinde non immeritò abſque perturbatione degit & moleſtia,imo incredibilẽ animo ſuo ſentit quietem. Iccirco nec ipſe deprimitur ab ira, nec quenquam alium prouocat ad iram. Itaque demum probè aſſerębat ſanctus ille ſenex, Ante omnia nobis opus eſſe cordis humilitate.Duo autem ſunt genera humilitatis,vt ſunt item, duo genera ſuperbiæ. Primum ſuperbiæ genus eſt,quãdo quis fratrem ſuũ contẽnit,& nihili facit, ac nomẽ illius, quoad eius fieri poteſt, attenuat, ſeq́; illo præſtantiorem ducit, & iactat. Hic niſi actutum reſipiſcat,& modeſtiæ ſtudeat,ad ſecũdum ſuper-

biæ

biæ genus ſenſim prolabitur ; quod eſt , aduerſus Deum inſoleſcere,ſibiq;,ſi quid præclarè & laude dignum egerit , aſcribere,non Deo . Certè equidem,Fratres,noui quendam olim,qui ad hunc miſerabilem ſtatum deuenit . Hic primò quidem,cū aliquid boni de fratre quopiam quiſquam deprædicaret,ſtatim reſpuebat eum,dicens, Quis eſt ille ? Non eſt,qui momenti ſit alicuius , niſi Zoſimas, & qui cum eo ſunt . Poſt cœpit & hunc contemnere,ac nihili pendere,dicens , Nemo eſt,qui quicquam valeat,præter Diuum Macharium . Et non multo poſt,ait, Quid eſt Macharius ? Nullus quicquam eſt,præter Baſilium,& Gregorium. Atque etiam paulo poſt , cœpit & hos teruncifacere,dicens,Quid eſt Baſilius? Quid eſt Gregorius? Nemo quicquam valet,niſi Petrus & Paulus : Cui ego dixi , Certè, Frater,& hos etiam contemnes. Credite mihi,non mentior, non multo poſt dicere occępit,quid eſt Petrus?quid eſt Paulus?Nemo eſt alicuius,niſi Sancta Trinitas . Poſtmodum verò & contra Deum ipſum ſuperbire cœpit,& inſoleſcere . Denique ad eum modum delapſus eſt in perditionis,& impietatis barathrum . Quapropter debemus contra primū ſuperbiæ genus obnixè pugnare, Fratres,nè paulatim ad ſecundum miſerè delabamur. Eſt & mūdana ſuperbia. Eſt & Monachalis. Et mūdana quidē ſuperbia eſt,quando quis aduerſus fratrē ſuū inſoleſcit,vt ditior & extollitur,vt formoſior , vel vt ornatior,ac nobilior eo. Quādo igitur noſmetipſos intuemur gloriantes & inſoleſcentes,ac nobis ipſis placētes in

his,quæ ſequuntur,nempè eo,quòd monaſterium noſtrum maius ſit,& dignius,atq; adeò abundantius,& vberius,vel quòd longè plures habeat Monachos fratres:tūc noſſe debemus, in ipſo ſuperbiæ mundanæ culmo iam nos eſſe peruentos. Interdum verò in his,quæ naturalia ſunt, gloriatur quiſpiam,& applaudet ſibi,putà,quòd ſuauem habeat,& cōcinnam vocem,ac pulchrè canat, & pſallat probè; quod humanus ſit,& mitis; quòd purè ac nitidè operetur,& miniſtret. Hæc, modeſtiora ac moderatiora licet ſint, mundanam tamen ſapiunt vanitatem,ſecularem redolent tumorem,& fumum. Monachalis verò ſuperbia eſt, & iactantia,quando quis ob vigilias,& ieiunia ſibi placet, quando quis inſoleſcit,eo quòd venerabilis ſit, & religionis obſeruantisſimus; quando ſuperbit & extollitur, quòd ſtudioſus ſit & arrepti inſtituti tenax. Nonnunquam verò demittit ſe quiſpiam, & humiliat,vt gloriolam aliquam,& fumum aſſequatur: Iſthæc monaſticam redolent vanitatem, & ſupercilium. Præſtat autem, ſi omnino ſuperbiendum eſt,in monaſticam potius,quàm in ſecularem ſuperbiam deflectere. Ecce,& de monaſtica,& de mundana ſuperbia ſatis abundè diſſeruimus.Reliquum eſt,vt diſcamus,quæ nam ſint duo genera humilitatis. Primum quidem humilitatis genus eſt, vt fratrem ac proximum noſtrum meliorem,honoratioremq;, ac prudentiorem nobis exiſtimemus,& in omnibus præſtare illum,atque excellere credamus. & (vt breuiter cum illo ſancto ſene dicam) omnibus nos inferiores & abie-

ctiores eſſe, intimo cordis affectu putemus. Secundum verò genus humilitatis eſt, vt quicquid rectè, & laude dignum geſſerimus, Deo tantùm, & nō nobis aſcribamus. Hęc eſt vera & perfecta ſanctorum humilitas. Quæ naturaliter animæ noſtrę ex obſeruantia diuinorum mandatorum innaſcitur. Quemadmodum enim in arboribus multo & copioſo fructu onuſtis, fructus ipſe ramos incuruat & deflectit, nonnunquam autem frangit: Ramus verò, qui nullum affert fructum, in altum attollitur & rectus aſſurgit. Sunt & nonnullæ arbores, quarum rami, ſi ſurſum quidem attolluntur, & eriguntur, nullum penitus afferunt fructum; ſi verò lapis appendatur in eis, ita vt deorſum flectantur rami, & incuruentur, tunc (quod à multis expertum eſt) vberes fructus pariūt. Sic & anima noſtra, cùm vera cordis humilitate deprimitur, vberrimos parit fructus; qui quantò ſunt plures & vberiores, tantò magis animā ipſam inclinant, & per veram cordis humilitatem in terram deflectunt. Nam viri ſancti, quantò magis adhærent Deo, & illi propius accedunt, tantò ſe magis peccatores agnoſcunt, & deteriores ducunt. Memini, cùm aliquando de humilitate verba faceremus, & quidam ex illuſtribus viris Gazenſibus audiret nos iſtuc ipſum aſſerentes, nimirum, quòd quantò quis Deo propius adhæreret, tātò ſe magis peccatorem agnoſceret, & viliorem prædicaret; admiratione illum & ſtupore affectum dixiſſe, Quomodo fieri hoc poteſt? Ignorabat enim, & volebat addiſcere. Tum ego illi aio. Dic mihi, obſecro, præ-

clare Domine, Quem locum habes in tua ciuitate? Ille verò reſpondit, Magnum quidem, & principem locum teneo in ciuitate mea: Dico illi, Si forte Cæſaream iueris, quem ibi locum obtinebis? Viliorem, inquit, atque peiorem omnibus, qui illic degunt. Tum ego, Si verò, inquam, Antiochiã perrexeris, quem ibi te faceres? Cui ille, vt ruſticum certè me haberem, & Semipaganum. Quod ſi ad regiam ciuitatem, inquam ego, perrexeris Conſtantinopolim, quem te ibi putares? Certè, inquit, vt pauperem & mendicum me exiſtimarem. Tum ego illi, Ecce, inquam, ita ſe habent ſancti viri, quantò propius & vicinius ad Deum accedunt, tantò ſe viliores aſpiciunt, & peccatis magis onuſtos. Cùm Abraam videre dominum meruiſſet, terram ſe vocauit & cinerem. Eſaias autem dixit, Miſer ego, & pollutus ſum. Pari modo & Daniel, cùm inter leones eſſet in fouea, & ad eum veniſſet Abacuc, dixiſſetq́; Sume prandium quod tibi Dominus tranſmiſit. Quid dixit Daniel? Recordatus eſt Dominus mei. Vides nè quãtam, & qualem ſuo fouebat in pectore humilitatem Daniel, cum inter leones degeret in lacu, nec eum omnino læderent illi? & poſt primum & ſecundum diem ſtupore affectus dixit, Recordatus eſt enim Dominus mei. Intuere, obſecro, veram humilitatem ſanctorum, quàm piè, ſanctè, & humiliter affecta ſint corda, & viſcera illorum. Sed neque quidam, qui à Deo miſsi fuerant ad opem hominibus ferendam, ob nimiam, & veram, profundamque cordis humilitatem admittere legationem,

tionem,aut obtemperare volebant,qui nè magnificè de ſe ſentiretur,vehementer cauebant,popularem auram vnicè fugientes. Quemadmodum enim qui holoſerica, aut pretioſa veſte eſt indutus,ſi lacerna illi pãnoſa inijciatur,& immunda; refugit ille,nè pretioſum illud indumentum commaculetur,& vileſcat.Ita & ſancti viri,qui præclaris virtutibus ſunt ornati,humanam gloriam vehementer effugiunt,nè dehoneſtentur, & commaculentur ab ea.Qui verò humanam ſectantur opinionem & gloriolam, perſimiles ſunt nudo cuidam,qui laceram,& attritam veſtem,aut quoduis tandem aliud inuenire cupit, quo nuditatem, & ignominiam ſuam contegat.Pari modo,qui virtutibus nudus & inermis eſt,auram popularem aucupatur,& humanam affectat gloriam. Delegati igitur à Deo viri ſancti ad opem hominibus alijs deferendam, vix præ humilitate legationem illã admiſerunt. Sed Moſes quidem dicebat,Obſecro te Domine, delige quempiam alium,qui ſermone potentior ſit,& eloquentior me: ego enim gracilis,& raucæ ſum vocis, ac linguæ impeditioris. Hieremias autem dicebat,Puer ego ſum. Deniq; viri ſancti omnes humilitatem hanc,ex obſeruatione mandatorum Dei poſſederunt. Huiuſmodi verò cordis humilitas, nullis poteſt verbis exprimi, nullo ſermone comprehendi, vt ſeſe mortalium cordibus inſinuet, & animis innaſcatur humanis; niſi prius illam homo experimento didicerit. De humilitate quandoque verba faciebat Abbas Zoſimas, ade-

rat fortè ibi ſophiſta quidã; hic cùm audiret quæ dicebantur, velletq́; diligentius & exactius rem addiſcere, ait ſeni, Dic obſecro mihi, quomodo te peccatorem exiſtimas? An ignoras quantas habeas virtutes? Num ignoras, quòd ſanctitate fulgeas? En vides & agnoſcis, quòd præcepta & mandata diuina opere comples? Quomodo igitur cũ horum obſeruantisſimus ſis, peccatorem te putas, & vocas? Senex autem quid ad hæc potisſimũ reſponderet, haud prorſus inuenit; ſed tamẽ ait, Quid ad hæc tibi dicam, ignoro; rem tamen ita ſe habere certò ſcio. Cui ſophiſta, ex aduerſo reſpondit, Vellem iſthuc ipſum addiſcere. Senex verò, cũ prorſus non inueniret quomodo rem hanc expediret, illiq́; perſuaderet, aut faceret ſatis, cœpit in ſancta ſimplicitate dicere, Non me peruertes ſophiſta, ego certè ita ſentio. Ego verò cùm ſenem illum, ita hęrentem, nec in promptu quod diceret habentem, viderem; aio ad eum, Nonnè hoc eſt, vt ars ſophiſtica, & medicinalis, quas cũ bene quiſquam didicerit, & ad actum perduxerit, ex frequẽtatis illis actibus, ſenſim innaſcitur habitus quidã & medico, & ſophiſtæ, qui nec docere poſſunt, nec norunt dicere, quo pacto ad illarum diſciplinarum habitũ peruenerint? Sed anima ipſa paulatim ſine ſenſu huiuſmodi diſciplinas, & artes (vt modò dicebam) ex frequenti operatione, & exercitatione concepit. Eodem ſanè modo & de humilitate dicere poſſumus, nempè quòd ex crebra diuinorum mandatorum exercitatione, & operatione, humilis quidam affectus, & habitus concipiatur,

tur,

tur,& naſcatur in anima. Quod quidem exprimi ſermone non poteſt. Vt autem Abbas Zoſimas hæc audiuit, gauiſus eſt valde, & ſtatim me comprehendit,ac dixit, Rem acu tetigiſti,ſic profectò res ſe habet,quemadmodum tu dixiſti. Curatus eſt autem ſophiſta,cùm hæc audiſſet, & rationem illam libenter admiſit. Nam & maiores noſtri ſolebant aſſerere,Poſſe nos in aliquo operante,huiuſmodi humilitatem agnoſcere, ipſum verò habitum,& diſpoſitionem innatā animo, qualis ſit, & quomodo ſe habeat, nullo modo poſſe quemquā effari. Abbas Agathon cùm eſſet moriturus, & fratres eum percontarentur, num & ipſe timeret? Reſpondit,Hactenus conatus ſum, & pro viribus laboraui,vt mandata Dei ſeruarem, atq; opere complerem; ſed cùm mortalis ſim homo,vnde noſſe poſſum,& ſcire, vtrū opera illa mea placuetint Deo, nec ne? longè enim aliud eſt iudicium Dei,atq; hominum. Ecce his verbis oculatos nos, & vigiles reddit hic ſenex ad agnoſcendam, & intelligendam humilitatem; nec non iter,quo facilius ipſam apprehendere valeamus,oſtēdit. Quomodò verò ſe habeat, vel quo pacto animæ innaſcatur,(vt ſæpe diximus) nemo vnquam explicandi,vel dicendi modum inuenit. Neq; enim ratione ipſa,aut verbis comprehendi facile poterit, niſi ex longa bonorum operum exercitatione anima noſtra digna reddatur, quæ humilitatem hāc diſcat,& intelligat. Quid autē ſit,quod huiuſmodi humilitatem gignat in anima noſtra,atq; producat,perſæpè dixerunt, ac docuerunt patres no-

ſtri. Dicitur enim in libro Seniorum, quòd interrogatus quidam ſenex à fratre quopiam, Quid ſit humilitas? Reſpondit dicens, Magnum opus eſt humilitas, atque diuinum. Iter autem, quod nos ad humilitatem perducit, labores ſunt, atque corporeæ moleſtiæ, quas volentes, & non inuiti ſuſcipimus: Necnon, ſi nos ipſos ſubiecerimus in veritate, ſi aſsiduis precibus Deum fatigauerimus, his, & ſimilibus itineribus ad humilitatem peruenitur. Ipſa verò humilitas diuina eſt, & incomprehenſibilis. Sed cur aſſerit, Labores corporeos perducere animam noſtrã ad humilitatem? Qua ratiõe moleſtiæ, & corporei labores virtutes ſunt animæ? Quia nimirum ſubeſſe omnibus (vt paulo ante diximus) aduerſatur primæ ſuperbiæ. Quo enim pacto maiorẽ ſe fratre ſuo exiſtimare quis poterit, aut aduerſum aliquẽ ſe extollere, vel accuſare, vel deſpicere, ac nihili facere quemquam, qui ſe omnibus inferiorem putat, atquè deſpicabiliorem? Similiter autem & orare ſine intermiſſione, perſpicuum eſt aduerſari ſecũdæ ſuperbiæ. Patet enim, quòd vir humilis & religioſus, (vt qui nil præclarum & laude dignum abſque protectione & auxilio diuino eſſe in anima ſua poſſe, non ignorat,) ab oratione iugi non ceſſabit, rogans Deum, vt miſericordia ſecum vtatur, & pietate. Et qui huiuſmodi aſsiduis incumbit precationibus, & orationibus; ſi fortè dignum ſe, aut idoneũ viderit, vt rectè aliquid faciat, & præclarũ; nouit planè vnde eſt illi, vt egregiè quicquã, & cum virtute agat. Nec efferri poteſt, aut extolli; nec bona

opera

opera ſua ſibi,& viribus ſuis aſcribit, ſed Deo;illiq́; perpetuas agit gratias, perpetuoq́; illum precatur,& orat;timens,& tremens,ne ab eius auxilio cadat & fauore,& imbecillitas, atq; impotentia ſua patefiat. Atq; ad eum modum ex intima cordis humilitate precatur,& orat, & ex aſsiduis precationibus humilitatē aſſequitur. Et quò magis rectè,& cum virtute ſe gerit, eo magis humilitatē cordis amplectitur,& cuſtodit. Rurſus quantò magis humilitatem ſectatur, tantò magis auxilium ſentit diuinū;ac proinde in via Dei per cordis humilitatem vlterius progreditur,ac proficit. Cur autem ait, Laboribus corporeis cordis humilitatem parari & acquiri?. Quid enim habet corporeus labor ad ingerendos in animam noſtram habitus,& excitādos affectus? Dicam vobis,Poſtquā miſera noſtra anima per mandati tranſgreſſionem à ſuo ſtatu cecidit,tradita eſt(vt diuus ait Gregorius)varijs voluptatibus, & cōcupiſcentijs omnibus;permiſſa eſt etiam infœlix, vt ſuo arbitratu,& iudicio,alioqui erroneo,viueret. Tunc ea cœpit amare,quæ materialia ſunt,& corporea; & ſic modo quodam inuenta eſt veluti corporea, & carnalis tota eſt effecta. Quemadmodum ſcriptum eſt, Non permanebit ſpiritus meus in hominibus his,propterea quòd effecti ſunt caro. Et enim anima noſtra fermè ita diſponitur, & afficitur,pro vt ſunt ea,quæ tractantur, & aguntur in corpore. Propterea dixit ſenex ille,quòd corporalis labor recta nos ad humilitatē deducit. Aliter enim diſponitur,& afficitur anima bene, ac ſalu-

briter ſe habentis;aliter verò ægrotantis. Atquè alio modo afficitur anima fameſcentis; alio verò longè diuerſo anima ſaturati, atq; repleti; necnō anima illius,qui equo vehitur, aliter afficitur, ac diſponitur; aliter illius,qui vectatur aſello; alio modò diſponitur & afficitur animus illiùs,qui ſedet in throno;alio autē illius, qui ſedet in terra; aliter illius,qui pulchris, ac pretioſis, vel mollibus indutus eſt indumentis; multo aliter illius, qui pannoſas,& laceras gerit veſtes. Labor igitur corpus humiliat,atq; demittit. Humiliato verò, atq; demiſſo corpore, humiliatur pariter & anima. Vnde probè ſenex aſſeruit, Labore corporeo animam ad humilitatem dirigi, atquè adeò deduci. Ob eam cauſam, cùm Euagrius à ſpiritu blaſphemiæ oppugnaretur, nec ignoraret à ſpiritu ſuperbiæ blaſphemiam prouenire, ac produci ſolere & humiliato corpore, ſimul & animam humiliari;quadraginta dies totos,& totidem noctes egit ſub diuo, ita,vt corpus eius ricinos,ſeu muſcas proferret caninas, non aliter quàm bruta & agreſtia ſolēt animalia. Neq; id putes ob blaſphemiam,ſed propter humilitatem ab eo factum.Pręclarè igitur dictum eſt à Sene illo, quòd corporalis labor animam perducit ad humilitatem. Optimus itaq; ac benignisſimus Deus veram hanc nobis humilitatē ſua bonitate & fauore largiatur. Quandoquidē ea eſt virtus, quæ & à maximis malis hominem liberat,& ab innumeris,atq; ingentibus tentationibus eundem protegit. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM DE CONSCIENTIA,

SERMO III.

CVm hominẽ Deus formaret, neſcio quid illi diuinum inſeruit; nempè conſiderationem quandã feruidam,& illuſtrem, atq; pellucidam; quæ luminoſæ facis loco eſſet, ſeu ſcintillæ rationem obtineret; quęq; mẽtẽ ipſius hominis illuſtraret,& illi oſtenderet quodnã eſſet boni maliq; diſcrimẽ. Id Conſcientia vſitato nomine vocatur; & eſt naturalis quædam lex. Huius typum gerebant putei,quos eruderauit Iacob, (vt Patres aſſeruere) & Philiſtijm aggerè oppleuerunt. Huic legi, nempè, Conſcientiæ,adhæreſcentes Patriarchæ,& ſancti illi omnes, qui ante legem ſcriptã fuere, Deo ſummopere placuerunt. Hac verò per irruptionẽ peccati obrupta,& cõculcata ab hominibus,opus fuit nobis lege ſcripta; opus fuit prophetarũ aduentu; opus tandem fuit, vt & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus adueniret,& apud nos peregrinaretur;qui conſcientiam hanc detegeret,& veluti extinctam ſcintillam excitaret; atq; hominem ipſum,ceu conclamatum,per obſeruantiam mandatorum ipſius,ad vitam reuocaret. In noſtra igitur eſt poteſtate,vel Conſciẽtiam hanc infodere, atq; obtegere;vel ſinere, vt ſplendore ſuo micet,

&

& nos illuminet; modò velimus tantarum rerum auctori, ac largitori credere, & certa perſuaſione illi præſtare fidem. Nam quando nobis conſcientia noſtra dicet, Hoc, vel illud facito; Cur illam aſpernamur, atque contemnimus? Ac rurſus repetit & dicit, Facito illud. Nec tamen ob id facimus; ſed delirantes illam conculcamus, atque proſternimus. Sanè tunc illam infodimus, atque obruimus. Nec iam vlterius præ onere illi impoſito, apertè nobis loquitur, ac perſpicuè. Sed quemadmodum lucerna lucens per ſpeculum, vel per cancellos, ſic illa languidè nobis incipit prælucere, atque oſtendere quaſi omnia obſcuriora, & tenebricoſiora. Ita deinde ob quandam conflictationem; vt in aqua multo cœno turbulenta, nemo faciem ſuam intueri poſſet; ſic percipere nullo pacto valebimus, quæ nobis ipſa noſtra conſcientia miſera loquatur: vſque adeò quidem, vt penitus ea carere putemus. Nemo autem eſt, qui eã non habeat. Nam (vt iam diximus) diuinum quiddam eſt Conſcientia. Nec perit vnquam; ſed continuò ea nos admonet, & ad memoriam reuocat, quę ad officium noſtrum pertinent: at nos eam non ſentimus, nec percipimus, eo quòd contemnimus (vt dixi) & conculcamus illam. Vnde Propheta luget Ephraim, & dicit, Præualuit Ephraim, & oppreſſit aduerſarium ſuum: & conculcauit iudiciũ. Aduerſarium autem appellat Cõſcientiam. Vnde & & in Euangelio dicitur, Eſto beneuolus, & conſentiens aduerſario tuo, dum es in via cum ipſo; nè quando tradat te iudici, & iudex miniſtris, & con-

ijciant te in carcerem: amen dico tibi, non egredieris inde, donec reddas minimum quadrãtem. Quare autem vocat Conſcientiam aduerſarium? Dicitur quidem aduerſarius, eo quòd malæ noſtræ voluntati ſemper aduerſatur, & reclamat; redarguitque nos iugiter, cùm nõ agimus ea, quæ debemus. Rurſus, cùm agimus, quæ nõ debemus, ea nos accuſat. Icc irco vocat eam aduerſarium noſtrum, & admonet dicens, Eſto beneuolus & conſentiens aduerſario tuo, dum es in via vnà cum eo. Via autem (vt præclarè ait Diuus Baſilius) hic mundus eſt. Studeamus igitur, Fratres, & annitamur, vt, dum in præſenti ſeculo ſumus, noſtram cuſtodiamus cõſciẽtiam; nè, ſi eam dimiſerimus, redarguat nos in aliquo; neq; conculcemus prorſus eam in re quamuis minima. Vt enim pernoſcatis, quòd ex minimis his, & natura vilibus, ad magna & prægrandia contemnenda per facilè delabamur; Cùm cœperit quiſpiam dicere, Quid refert, ſi verbum hoc dixero? Quid refert, ſi modicum hoc comedero? Quid refert, ſi in rem hanc intendero, & incubuero? Ex hoc enim, quid eſt hoc, & quid eſt illud, quid refert hoc, quid refert illud, mala, ac peruerſa, & amara conſuetudo admittitur, & imbibitur; & datur initium, vt magna, ac grauiora contemnamus, & conſcientiam noſtram conculcemus, & proſternamus; & ſic demum per partes offendentes, periculum eſt, nè in perfectam inſenſibilitatem deueniamus. Icc irco, Fratres, videte, nè parua, ac minima contemnamus; videte, nè ita ea ſpernamus,

mus,vt vilia,ac nullius pretij: non enim ſunt par ua. Pabulum peſsimum eſt hoc. Conſuetudo eſt non bona. Aduigilemus itaque, Fratres,& accura tè in minimis,ac leuibus caueamus,dum minima ſunt & leuia,nè magna fiant,& grauiora.Nã rectè agere,& peccare, à minimis ortum habent, & ad magna paulatim, vel bona, vel mala perducunt. Propterea hortatur nos,& admonet Dominus,vt Conſcientiam noſtram obſeruemus, & cuſtodiamus; quaſi fortè aliquem ſeorſum obteſtaretur, dicens illi,Vide miſer quid agas;ſobrius, & diligens eſto;eſto beneuolus,& conſentiens aduerſario tuo,dum es in via cum illo; & rei periculum, atque timorem ſubinfert dicens,Nè fortè te iudici tradat,& iudex miniſtris,& detrudant te in carcerẽ. Sed quid tum? Amen dico tibi,non inde exibis,donec perſoluas minimum quadrantem. Ipſa itaq; Conſcientia(vt modò dicebam)nos arguit, & in bono,& in malo;præmõſtratq; nobis,& quid agendum,& quid non agendum. Rurſus eadẽ accuſabit nos in futuro ſeculo.Iccirco dicit,Nè forte tradat te iudici,& quæ ſequuntur. Porrò autẽ, cuſtodire & obſeruare Conſcientiam, non vno cõtingit modo.Debet quiſq; Cõſcientiam ſuam cuſtodire erga Deum,erga proximum,& erga materiales res. Erga Deum quidem,nè præcepta eius, & mandata cõtemnat;etiam in his, quibus nemo mortalium eum intuetur; & in quibus nemo repetit, aut dijudicat. Ipſe cuſtodit Conſcientiam ſuam in occulto. Vti exempli gratia quid dicam; Omiſit per in curiam orationem; aſcendit praua

&

& laſciua in cor eius cogitatio;nec caſtus fuit,aut ſobrius;nec ſeipſum frenauit,aut coercuit,ſed aſſentitus eſt: Vidit proximum ſuum dicentem aliquid,aut facientem, ſuſpicatus eſt quippiam, & damnauit. Et (vt breuiter concludam) Quæcunq; fiunt in occulto,nemo nouit, niſi Deus,& Cõſciẽtia noſtra. Ab his ergo omnibus debemus cauere & nos ipſos cuſtodire. Et hæc eſt Conſcientia noſtra erga Deum. Erga proximũ verò,eſt,nè quicquam omnino faciat aliquis,in quo moleſtia, vel afflictione,ac læſione aliqua proximum ſuum affici poſſe intelligat,ſiue in verbo,ſiue in opere,ſiue in ſigno,ſiue in aſpectu & intuitu. Eſt enim ſignũ (vt perſæpe diximus)quod proximũ lædit, & percutit. Eſt & aſpectus,vel intuitus,qui proximum verberare,& lædere queat. Et (vt breuiter dicam) quæcunq; nouerit homo à ſe fieri, quibus proximus lædatur,aut aliqua afficiatur moleſtia,in his eius Conſcientia polluitur; cùm ſciat,non ſtudere illũ,quo minus eius proximus lædatur. Et hoc eſt,Conſcientiam ſuam erga proximum cuſtodire. Cuſtodire autem eam circa res materiales,eſt, nè malè, ac peruersè quis huiuſcemodi rebus vtatur,nèue abutatur;nè,videlicet,permittat rem aliquã fœdari,aut proijci:ſed ſi viderit fortaſſe quid proiectum, non negligat; & veluti clauſis oculis pertranſeat, etiam ſi vilisſimum fuerit illud; ſed corripiat potius, & in locum ſuum ſtatim reponat. Nè præterea quis proprijs abutatur indumẽtis. Sit autem (exempli cauſa) quiſpiam,qui,cùm vnam,aut duas indumentum ſuum geſtare posſit

hebdo-

hebdomadas; ſtatim abit, & in conſideratè ante tempus illud lauat,& contundit,ac conterit; & cũ per menſes alios quinque, & eo amplius,vtile illi eſſe poſſet,crebrò lauando inutile reddat,& lacerum.Quod quidem eſt contra Conſcientiam. Simili modo fit & in ſtrato: ſæpenumero quiſpiam, cùm ſatis eſſe poſſet illi vnicum ceruical, amplũ & magnum quærit ſtratum. Interdum laneum habet opertorium, & quæritat illud permutare, vt nouum aliud, vel pulchrum accipiat; quod temeritate quidem fit, & tædio quodam. Præterea poteſt quiſpiam vna contentus eſſe culcitra, quęrit tamen laneum tapetem. Decens eſt pro quo contendat & altercetur. Si verò & ad fratrem ſuum reſpicere cœperit, & aliquid,quod ipſe non habeat, animaduerterit illum habere,& dixerit, Cur hic habet id, quod ego non habeo? ſcilicet, hic beatus eſt, magna felicitas, magnusque eſt eius profectus. Rurſus expandit aliquis indumentum ſuum vel pallium ad ſolem, & incuria non ſuſtulit, nec accepit illud, ſed ardere permiſit,atquè comburi;& hoc vtique contra Conſcientiam eſt. Similiter & in cibo, poſſet quiſpiam oluſculis, vel leguminibus, aut paucis oliuis necésſitati corporeæ ſatisfacere, & famem depellere; nec tamen his contentus, alios quærit cibos lautiores,& pretioſiores, ac delicatiores appetit dapes. Iſthæc omnia præter Conſcientiam fiunt. Porrò autem Maiores & patres noſtri dicere conſueuerunt, non debere pati Monachum, vel permitteré, vt à Conſcientia ſua quauis in re mordeatur,

deatur,& crucietur.Itaq;,Fratres, aduigilandum eſt nobis ſemper,& amplectenda ſobrietas,vt nos ab huiuſmodi laqueis omnino cuſtodiamus illæſos: Nè quando periculum aliquod incurramus. Id quod Dominus obteſtatus eſt nobis, vt modò paulò ſuperius dictum eſt. Præſtet nobis Deus,vt hęc audiamus & cuſtodiamus; atq; opere cōpleamus,nè Patrum noſtrorum ſermones, & adhortationes in iudicium & condemnationem nobis fiant. Amen.

DE DIVINO TIMORE.

SERMO IIII.

DIuus Ioānes in epiſtola ſua catholica aſſerit, Quòd perfecta charitas foras emittit Timorē. Quid igitur tandem per hoc ſignificare nobis vult Apoſtolus Sanctus? Quænam eſt hæc charitas, & qui Timor? Vates enim in Pſalmo ait, Timete Dominū omnes Sancti eius. Et id genus alia multa inuenimus in ſacris litteris. Si igitur & Sancti,qui Deum ita diligunt,timent eum, quomodo dicit, Perfecta charitas foras emittit Timorē? Vult nobis oſtendere Sanctus,Duo eſſe genera Timoris: Alterū quidē Iſagogicū, quod eſt introductoriū; Alterum verò perfectum.Et illud quidem incipiētium eſt, & eorum, qui nunc primùm pietatem

(vt ſic dicam) & religionem exercere, ac profiteri aggrediuntur. Hoc autem ſanctorum eſt, & perfectorum; nimirum, qui iã ad ſanctę charitatis culmen, & religionis apicem peruenerunt. Vti exempli cauſa quid dicam, Facit quiſpiam Dei voluntatem, ſed timore pœnæ, & formidine gehennæ; hic (vt diximus) adhuc tyrunculus eſt, & incipiẽs; neque adhuc propter ipſum bonum operatur, ſed timore plagarum. Alius verò Dei voluntatem facit, Deum ipſum vehementer amans, atque vnicè illi placere, & gratus eſſe appetẽs. Hic nouit profectò, quid ipſum ſit ſummũ bonum; hic non ignorat quid ſit vnà eſſe cum Deo. En hic verã & perfectam habet charitatem, de qua loquitur Apoſtolus; & ipſa charitas ad timorem perfectum eũ adducit. Timet enim hic, & Dei voluntatem obſeruat, non metu tamen plagarum, aut nè crucietur; ſed (vt dixi) quia guſtauit quàm dulce ſit, & ſuaue, commerciũ habere & familiaritatẽ cum Deo. Timet autem, & mirum in modum timet, nè decidat ab ea. Hic igitur perfectus eſt Timor; quippe qui ex hac vera & perfecta charitate dimanat, & foras emittit exagogicum illum timorem. Et idcirco dicit, Perfecta charitas foras emittit timorem. Cæterùm fieri omnino non poteſt, vt perfectus hic Timor vnquam introducatur, niſi per Iſagogicum timorem. Tres enim ſunt conditiones, & ſtatus (vt ait diuus Baſilius) quibus Deo placere, & eſſe ei grati poſſumus. Vel enim timentes, ac formidantes Deum, illi placemus; & ſumus in ſtatu & conditione ſeruili. Vel præmij, ac mercedis
lucra

lucra ſectantes, vtilitatis & proprij commodi gratia, diuina mandata complemus. Qua quidem in parte, mercenarijs eſſe perſimiles dicimur. Vel propter ipſum bonum & honeſtum; & hoc pacto in ſtatu ſumus & conditione filiorum. Etenim filius, cùm primum ad virilem, & prudentem ætatẽ peruenerit; voluntatem & mandata patris ſui peragit; haudquaquam timore, nè cædatur, neq; etiã vt mercedem, aut præmium ab eo capiat; ſed quia illum diligit, veneratur, & colit, charitatemq; paternam vnicè obſeruat, perſuaſus nimirum, & certò ſciẽs facultates, & bona omnia paterna, ſua fore. Qui huiuſmodi eſt, audire meretur, Iam non es ſeruus, ſed filius, & Dei hæres, per exemplum. Qui eiuſmodi eſt, iam Deum non timet, vt diximus, timore illo videlicet Iſagogico; ſed amat, vt ait Diuus Antonius, Ego non amplius Deum timeo, ſed amo. Et Dominus ad Abraam ait, cùm filium ſuum ei obtuliſſet, Nunc cognoui, quòd timeas Deum; illum nempè Timorem innuẽs, qui ex charitate procedit. Quomodo enim dicere poterat, Nunc cognoui? (bona venia) tanta fecerat, obedierat Deo, & dimiſerat omnia ſua, omnẽque ſubſtantiam reliquerat, in terram alienam peregrè profectus fuerat, & in gentem idololatrã, vbi nè veſtigium quidem pietatis & religionis erat: Adhæc tantam pertulerat tẽtationis procellam, vt filium iuberetur immolare: & poſthæc omnia, dicit ei, Nunc cognoui, quòd timeas Deum. Patet Timorem illum innuere voluiſſe, qui propriè ſanctorum eſt. Neque enim Timore pœnæ, aut præ-

mirum ob id, & in ipſius veri boni ſenſum acce-dit,nec ab eo vult amplius recedere. Quis enim ipſum vlterius poteſt (vt ait Apoſtolus) à charitate Dei diuellere? Tunc ad perfectam filij menſuram, & ſtatum attingit; & bonum ipſum quod eſt, per ſe diligit. Atquè hic eſt magnus ille, & perfectus Timor. Iccirco docet nos Propheta, quid inter ſe Timores hi differant, cùm dicit, Venite filij, audite me; Timorem Domini docebo vos. Adhibete, obſecro, mentem ad ſingula Prophetæ verba, vt vnaquæque illius dictio vim ſuam habeat. Primum quidem ait, Venite ad me; aduocans nos ad virtutem; adiungit & filij; Filios vocant Sancti viri eos, qui à prauitate, & malitia ad virtutem, & bonam frugem ſermone, & prædicatione ſua conuerterunt, vt Apoſtolus ait, Filioli, quos iterum parturio, donec Chriſtus reformetur in vobis. Deinde,cùm adhortatus eſſet, & vocaſſet nos ad huiuſcemodi transformationem, ſeu conuerſionem, ſubinfert dicens, Timorem Domini docebo vos. Intuemini Sancti huius fiduciam. Nos cùm boni quippiam aſſerere volumus, ita ferè dicere ſemper conſueuimus, Vultis nè parumper edoceri? Et tunc vel de Timore Domini, vel de quauis alia virtute docemus. Hic autem vates, non ita, ſed cum fiducia dicebat; Venite filij, audite me, Timorem Domini docebo vos: Quis eſt homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos? Deinde tanquam aliquo reſpondente, & dicente, En ego vo-

lo,doce me,quonam pacto viuam,& dies bonos videam;docet,& ait,Prohibe linguam tua à malo,& labia tua,nè loquantur dolum. Videte quomodo vim & energiam mali,Timore Domini excindit? Illud autem, Cohibe linguam tuam à malo, eſt, Nulla in re proximi tui Conſcientiam offendas; hoc eſt,non obloquaris,non irrites,aut prouoces eum ad iram. Illud verò,Nè labia tua loquantur dolum,eſt,nè fraude aliqua, vel malo dolo vtaris aduerſus proximum tuũ. Deinde paulatim ſubinfert;ac primùm quidem particularia quędam peccata,& errores notat,vt ſunt procacitas, maledicentia,doloſitas;& ſic poſtea ſubintulit generaliter de vniuerſo malitiæ,& iniquitatis genere: Veluti ſi diceret,Fuge ab omni malitia, & iniquitate: Declina ab omni re,quæ peccatum inferre poteſt. Neque hoc tantùm dixit,& tacuit, ſed addidit,Et fac bonum. Interdum enim accidit,vt malum quis non perpetret; non tamen iccirco bonũ aliquod operatur.Rurſus aliquis iniuria non afficit quenquam;non tamen iccirco miſeretur alicuius.Interdum non odio proſequitur quiſpiam fratrem ſuum;non diligit tamen ob id. Probè igitur ait Propheta,Declina à malo,& fac bonum. Ecce aperit nobis ordinem quendam, & rationem triũ illorum,de quibus ſupra diximus,ſtatuum, & conditionum:Quomodo, ſcilicet,per Dei Timorem, veluti manu ducit,& præmonſtrat iter,vt declinemus à malo,& hortatur, vt conſcendamus ad bonũ.Nam ſi dignus quiſpiam efficitur, vt ferietur, & ceſſet à malo, ab eo fugiet naturaliter; deinceps

ceps quod bonũ eſt operabitur, deductus & adiutus à Deo. Hæc cùm probè admodum dixiſſet Vates, meritò ſubintulit. Inquire pacem, & perſequere eam; nempè, vt comprehendas eam. Animaduertite, obſecro, & dictum hoc perpẽdite, exactãq; ſancti huius diligentiam & ſtudium conſiderate. Cùm dignus quis habetur, vt deflectat à malo; & quod bonum eſt deinceps, Deo fauente, ſtudeat exercere; actùtum illi bella ab humani generis hoſte inferuntur; certat, laborat, conteritur, formidans non ſolùm nè ad malum iterum conuertatur, (ceu de ſeruo ſupra diximus) verùm etiã aliquod boni ſui operis præmium ſperãs, vt mercenarius. Dum igitur oppugnatur, & repugnat; dũ cum hoſte luctatur, & contendit; bonum agit, & cum virtute operatur; ſed magno labore, & anguſtia, magnaq; anxietate, & angore. At verò cùm affulſerit illi cœlitus auxilium à Domino, & cœperit in bono opere habitum quendã facere; tunc cumulata pace fruetur; tunc ſentiet, quid ſit afflictio, & labor in bello; quantum habeat gaudij, & lætitiæ pax. Quærit deinceps eam, ſtudio accurret perſequens eam, vt comprehẽdat, & perfectè poſſideat eam; vt ſibi denique illam vendicet. Quid igitur beatius anima illa, quæ ad menſuram hãc, & ſtatum peruenire facta eſt digna? hic (vt perſæpè diximus) ad menſuram & conditionem filiorũ iam perductus eſt. Beati reuera pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur. Quis enim efficere poterit, vt anima illa ob vllam aliam cauſam benè ac rectè ſe gerat, quàm ob ipſius boni fruitionem?

Quis vnquam gaudium & lætitiam illam nouit, niſi qui tanti boni periculum fecerit, & experimento probauerit? Tunc profectò, qui eiuſmodi eſt, perfectum filiorum Timorem (vt iam diximus) & ſentit,& cognoſcit. Ecce iam audiuimus,quiſnam ſit Perfectus Sanctorum Timor; & quis item ſit ille Iſagogicus, ſeu introductorius: Quis ſtatus noſter: Vnde quis fugiat: Quoue proueniat ob Timorem Dei. Reliquum eſt, vt ediſcere nunc velimus,quomodo Timor ille proueniat diuinus; & quæ ſint ea,quæ nos ab hoc Timore diſterminent, atquè diuellant. Aſſeruere Patres, & maiores noſtri, huiuſmodi Timorem Dei ab eo poſſideri, qui mortis, & gehennæ memoriam crebrò ſibi reuocat in mentem; & qui veſperi ſcrutatur,& exactè cogitat, ac ruminat,quomodo diem illum tranſegerit, quiduè geſſerit; manè ſimiliter à ſeipſo rationem exigit,quomodo nocte illa ſe habuerit:necnon & qui licentiosè ſe non geſſerit, nec de ſe nimium præſumpſerit; quiquè viro alicui timenti Deum adhæſerit,conuerſationemque, & ſocietatem illius tenuerit. Aiunt enim quendam Monachum quæſiſſe à ſeniore quopiam, hunc in modum, Quid faciam pater, vt Deum ipſum timeam? Seniorem verò reſpondiſſe, Vade fili,adiunge te viro cuipiam Deum timenti,& illi adhære, verſareque cum illo: Nam ſi Deum hic verè timeat, docebit te procul dubio ſua conuerſatione, vt idem & tu facias. Cùm autem his, quæ dicta ſunt, contraria facimus, Timorem profectò illum diuinum à

nobis

nobis abigimus & fugamus; cùm mortis, ſcilicet,& gehennæ ſumus immemores; cùm nobis ipſis non attendimus, nec ſcire vias noſtras ſtudemus; cùm haudquaquam ſcrutamur, nec ruminamus, quo pacto vitam noſtram tranſigimus; ſed promiſcuè,indifferenter,& citra delectum,vitam noſtram ducimus; verſamurque cum his, qui promiſcuè viuunt: Item cùm libera & periculoſa loquendi audacia vtimur; cùm licentiosè nos gerimus,& de nobis præſumimus. Hoc ſanè deterrimum eſt omnium; in hoc extrema pernicies eſt, & interitus abſolutus. Quid enim, obſecro,ita Timorem Dei profligat, & ab anima noſtra abigit, vt licentioſa loquendi libertas, & nimia de ſeipſo præſumptio? Iccircò interrogatus Abbas Agathon de hac Parriſia, ſeu libertate loquendi, magno illam incendio comparauit; quod,cùm eſcandeſcit,omnes ab aſpectu ſuo procul abire compellit; nec non arborum fructus, & poma corrumpit, ac vitiat. Vides nè, obſecro, vim huiuſce ægritudinis, & pasſionis? Vides nè furorem eius, & impetum? Rogatus idem rurſus, an grauis eſſet, & moleſta huiuſcemodi Parriſia, ſeu licentioſa hæc tum agendi, tum etiam loquendi libertas? Reſpondit, Nihil eſſe hoc morbo moleſtius, vel grauius; quandoquidem omnium vitiorum ſit ſeminarium, & pasſionum progenitrix. Quippe Timorem Dei fugat ab anima. Nam, ſi Timore Dei quiſque declinat à malo; vbi Timor Dei non eſt, ibi prorſus omne malum, omnis morbus, & pasſio

paſſio viget. Liberet bonitate ſua Deus animas noſtras ab hac peſtifera & lethali parriſia, ſiue licentioſa agendi, vel loquendi libertate. Eſt enim Parriſia multiplex, & pluribus modis fit. Etenim licentioſè ſe quiſquam gerit verbo, tactu, & uiſu. Delabitur quis Parriſia in otioſam & vanam loquutionem, in verba ſecularia, in actus ridiculos. Riſus enim mouet hæc Parriſia parum modeſtos. Eſt autem Parriſia, ſeu licētioſa libertas, cū quis, præter neceſsitatem, alium attrectat, manusq́ue ſuas iocandi, ridendiq́; ſtudio in ſocium iniectat; cùm impellit aliquem, ac protrudit; cùm violenter quicquam, aut furtim ab aliquo rapit; cū impudentibus oculis, & parum modeſtè, aliquid ſpectat. Hæc omnia profectò ex eo proueniunt, & ortum habent, quòd Timorē Dei anima noſtra non poſſidet. Ex his autem in verum, & abſolutum cō temptum paulatim ac ſenſim quis labitur. Proptere a cùm legis præcepta daret Deus, aiebat, Facite, vt religioſi, pij, ac verecundi ſint filij Iſrael, ac minimè contemptores, & faſtuoſi. Nam citra pietatem, & deuotum animi affectum, citraq́; reuerē tiam & cautionem, nec colere, nec venerari Deū quiſquam poterit vnquam. Neq́ue enim cuiuſmodi ſit præceptum attendit, aut conſiderat. Iccirco nihil eſt Parriſia grauius, aut moleſtius; & proptere a omnium paſſionum, ac vitiorū mater, ac ſeminarium dicitur: quandoquidem hæc Parriſia omnem religionem, omnem pietatem, ac venerationem, omnem denique Timorem Dei procul abigit, & expellit à nobis; paritq́; contemptum & faſtum.

ſtum. Etenim ex hac Parrißa,ſeu licentioſa libertate,quam mutuò inter nos exercemus, fit,vt mutuò inter nos licentioſi ſimus; vt impudenter inuicem noſmet geramus;vt perperam,ac malè inter nos mutuò colloquamur; vt mutuò noſmet lædamus,corrumpamusq́;; atque adeò verberibus laſciuiamus. Inde etiam fit,vt cùm veſtrū aliquis inutile quippiam, aut vanum aſpexerit, actùtum abeat,& futili quadam garrulitate, ac loquacitate illud effutiat,atq́; diſſeminet,& in alterius fratris mentem,atque animum ingerat; nequaquā̃ ſeipſum tantùm læſiſſe contentus,niſi & Fratrem ſuum in commune damnum pertraxerit, immiſſo lethali quodam veneno in cor illius. Ac ſæpenumero euenit, vt Frater ille orationibus vacet, & precationibus deditam habeat mētem, aut rei cuipiam non inutili;cùm ſubito venit hic nugigerulus,& conuertit eum in nugas, facitq́; vt inaniter,ac futiliter colloquatur; nec ſolùm illū ab vtili re auocat, verum etiam prouocat ad tentationem.Quo quidē vitio nihil grauius,nihil eſt perniciosius,vt non modò,ſcilicet,te ſolū,ſed & proximum etiam lædere, atque impedimento illi eſſe velis.Faceſſat iſthucà nobis,Fratres,abſit tantum à nobis ſcelus.Sed mutuam potius ſeruemus reuerentiam,mutuamq́; amicitię,& religionis rationem habeamus;mutua,atque communia damna caueamus; mutuoque nos honore proſequamur. Studeamus etiam,nè mutuò nos oculis, & aſpectibus contueamur, aut conniĉtemus: Nam iſtud quoque genus eſt Parriſiæ, ſeu licentioſæ libertatis

bertatis, vt Seniorum quidam aſſerebat. Porrò autem, ſi contigerit, vt peccantem Fratrem quis repèriat, aut aſpiciat; nè deſpiciat, aut contemnat illum; nè taceat, nec ſilentio rem illam prætereat, & Fratrem ſuum perire permittat: Nequè rurſus illum conuicijs & maledictis inſectetur, aut obloquatur, & detrahat; ſed ſumma animi condolentia & miſericordia, veroquè Dei Timore rem illam ei reuelet, & dicat, qui corrigere, & emendare eum poterit. Aut certè Fratrem ipſe compellet; & cum animi demiſsione, & beneuolentia, manſueteque eum alloquatur ad hunc modum, dicens, Ignoſce mihi Frater, da veniam obſecro, quòd nimium acutè video, fortaſsè non rectè agimus rem hanc. Quòd ſi te non audierit, dic alteri, cui videris illum plenam habere fidem: Vel dic præceptori, aut rectori eius, vel Abbati, pro magnitudine & qualitate lapſus, & erroris illius; ac deinde ſecurus & animo quietus eſto. Cæterum (vt modò diximus) caueat quiſque alio ſcopo, atquè alio animi propoſito illud agat, quàm vt Fratrem corrigat & emendet; non per garrulitatem, non per detractionem, aut contemptum illius; non vt traducat illum, aut ludibrio exponat; non vt iudicet Fratrem, aut condemnet; non foris quidem prætexat, aut effingat correctionem, & emendationem Fratris, intus verò quicquam eorum, quæ diximus, retineat. Certè enim, ſi quis Abbati ſuo quicquam dixerit, & non ad correctionem & emendationẽ Fratris, & proximi ſui, ſed ſtudio & animo nocédi, il-

di, illud dixerit; propter aliquod, ſcilicet, nocumentum, quod ipſe paſſus eſt; detractio illa eſt, & oblocutio. Cæterum ſecreta, ac penetralia cordis ſui veſtiget, & ſcrutetur primo; & ſi quidem paſſionis motum aliquem in ſe eſſe conſpexerit, aut deprauatum affectum; taceat, & omnino non dicat. Si verò conſpexerit, ſe uſum diligentia & charitate, qua debuit, vt nihil aliud quærat; nihil mente intueatur, quàm ea, quæ ad vtilitatem & correctionem Fratris ſpectare videbuntur, dicere, ac manifeſtare velle. Quòd ſi ſe ſcrupuloſa quadam cogitatione infeſtari, ac turbari ſenſerit, vel impediri intus; nè dicat, ſed vtrunque Abbati ſuo humiliter pandat, & peccatum ſuum, & proximi vitium; dicatque ad hunc modum, Conſcientiæ quidem teſtimonio Pater ad correctionem & emendationem Fratris mei compellor te alloqui; ſed ſentio quadam me interiori cogitatione turbari, ita, vt ignorem penitus, an habeam aliquid aduerſum Fratrem; an hæc calumnia ſit, quæ me à correctione Fraterna, quærat impedire. Tunc illi Abbas dicet, vtrum vtile ſit aperire rem illam, an non. Solent enim nonnulli quandoque Fratris ſui errorem detegere, ac diuulgare, non ob vtilitatem & commodum illius; neque quia læſi ſunt, aut quia ſuſceptæ reminiſcuntur iniuriæ; ſed ſimpliciter ita obloquuntur propter otioſitatem quandam, & vanam obloquendi cõſuetudinem. Quęnã obſecro huius eſt garrulitatis vtilitas? & quis vſus? ſępe quidem numero Frater ille poſtmòdum

reſciſcet,

reſciſcet, quòd de ſe ſis obloquutus, & illi detraxeris; & perturbabitur, moleſteque feret. Vnde non modica afficietur anxietate & dolore; fietq́; iſthęc alia doloris & læſionis accesſio. Quando itaque (vt diximus) fraternæ vtilitatis gratia, & correctionis ſtudio id fit, non patitur Deus turbationé aliquam fieri, aut nocumentum aliquod, vel moleſtiam ſuccedere. Date igitur operam (quod modo dicebam, Fratres) vt linguam veſtram frenetis & cohibeatis, nè malè aliquis aduerſum proximũ ſuum loquatur; nè carpat, nèue pungat verbo, aut ſigno aliquo Fratrem ſuum; aut quouis alio denique modo lædat. Neque adeo faciles ſitis, vt, cùm aliquis veſtrum fortè audiat verbum aliquod aduerſum ſe dictum à Fratre, ſtatim offendatur, ac malum ipſe quoque reſponſum rependat; aut animo in Fratrem perſeueret infenſo. Nõ enim hæc eos decent, qui ſalutem animæ quærunt. Neq́; eis etiam conueniunt hæc, qui ſummo ſtudio certant atque contendunt, vt Dei Timorem acquirant, & posſideant. Cæterum ſumma cum reuerentia, & veneratione mutuò vobis occurritè, & obuiam ite. Quisque veſtrum Fratri ſuo caput inclinet, humiliet ſe coram Deo, & coram Fratre ſuo, propriam abſcindens & abnegans voluntatem. Sanè quàm opus præclarum agit, & rem gerit eximiã, qui Fratri ſuo cedit, & illũ ſibi præponit. Hic certè lõgè plus proficit, & multo plura lucratur, qui cedit, quam ille, cui ceditur. Ego certè nullius boni mihi conſcius ſum, nihilq́; præclari vnquã mè feciſſe cognoſco: ſed huius erroris & vitij expertem,

tem,atque immunem prorſus me ſemper agnoui. Nunquam enim me Fratri cuipiam antepoſui;quin Fratrem meum mihi præpoſui ſemper. Cùm eſſem ego quondam apud Abbatem Seridũ, ægrotare cœpit miniſter Abbatis Ioannis Senioris,qui fuit tẽporibus Abbatis Barſanuphij:iniũxit mihi Abbas, vt Senioris ægrotantis curam gererem,illiq; miniſtrarem:ego verò cellulæ ſuæ hoſtium ſumma veneratione obſeruabã, vt qui pretioſam & venerandam Crucem adorat; quãto magis & illi miniſtrabam. Quis enim non optaret ſummopere tam ſancto viro deſeruire? Erat autẽ ſermone ſuaui,& apprimè venerando. Vnde ego quotidie poſt expletum miniſterium, ad illius genua pronus aduoluebar,vt,accepta venia,cũ eius benedictione diſcederem: & ſemper quidem ille aliquid,quo me inſtrueret,& informaret, loquebatur. Habebat enim bonus ille Senex quatuor verba in ore ſuo conſueta; & cùm eram receſſurus,ad veſperam,vnũ illorum(vt dixi) mihi ſemper proferebat.Conſueuerat etiam hic Senex tertio quoque verbo dicere, Conſeruet Deus charitatem:Cuſtodit Deus,Frater,charitatem.Quo dicto,tum intulit, Aſſerebant noſtri Patres, Ex cuſtodia propriæ Conſcientiæ gigni cordis humilitatem. Sequẽti autem veſpere,dicebat, Cuſtodiat Deus,Frater,charitatem:Dixerunt patres noſtri, Voluntatem propriam fraternæ voluntati prępo nendam eſſe nunquam. Tertia veſpera,aiebat,Cuſtodiat Deus,Frater,charitatem: Fuge hæc humana,& ſalutem conſequeris.Rurſus die quarto, di-

cebat, Cuſtodiat Deus, Frater, charitatem: Inuicē onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Semper mihi cōſueuerat Senex ille ſingulis quibusq; diebus vnam è quatuor illis ſententiam ad veſperam tradere, ceu viaticum quoddam diſceſſuro: Quas omnes in vitæ meæ cuſtodiam ſeruaui ſemper. Et quamuis eam fidei plenitudinem erga ſanctisſimum illum Senem haberem, atquè animi promptitudinem, & eſſem in eius obſequium, ac miniſterium optimè affectus; ſimul ac tamē audiui, quendam ex Fratribus angi, ac deſiderio teneri non modico, vt huic ſanctisſimo Seni miniſtraret, actùtum Abbatem adij, quem ſummopere precatus ſum, dicens. Pater, huic fratri munus hoc, & miniſterium multò magis congruit, quàm mihi. Itaquè gere, obſecro, illius animo & voluntati morē; curamq; huius ſanctisſimi Senis eius fidei committe. Negauit pater Abbas; atquè ipſe etiam Senex iſthuc non permiſit. Veruntamen ego interim, quantum in me fuit, Fratrem mihi antepoſui; & cùm annos præterea nouem ibidem egiſſem, neſcio ſi cui verbum aliquod moleſtum, aut vitioſum aliquando dixerim, cùm adminiſtrationem illam haberem. Credite, obſecro, quæ dico. Ab eo loco, vbi valetudinarij cubant, vſque ad Eccleſiæ limen, quidam Frater conuicijs inſectatus eſt me. Cui nè verbum quidem vnquam reſpōdi. Quin vbi reſciuit hoc Abbas, neſcio quo illi referente, ac vellet eum obiurgare; amplexus ego pedes illius, perſtiti dicēs, Nè, obſecro, per Ieſum Dominum, quicquā illi facias, aut dicas: ego enim
pecca-

peccaui,non ille. Alius item frater, vel ex tentatione,vel ex ſimplicitate,neſcio; (Deus ſcit,quanam ex cauſa id fecerit)nocturno quodam tempore lotium in caput meum effudit,ita quidem,vt & lectulus totus maduerit. Similiter & alij quidam fratres ſingulis quibuſq; diebus, ad excutiendas ſuas ſtoreas, ante cellulæ meæ hoſtium ventitabant: Vnde tantam cimicum multitudinem, & examen,ad cellulam eam progredientem videbã, vt eas conficere & extinguere me poſſe deſperárem: Erant enim igniti & accenſi præ nimio calore.Cæterum,cùm ego iſſem cubitũ,vniuerſa illa cimicum multitudo,facto agmine,in me vnum commigrauit: Et ſomnus quidem præ labore nimio diurno iam aduenerat. Cùm autem è ſomno tandem expergiſcerer, corpuſculum meũ omne conſumptum,atquè depaſtum comperi: Neq; tamen cuiquam illorum dixi vnquam,Quid iſtuc agis? vel,Nè obſecro iſthuc agito: Nequè(vt modò dicebam) memini cuiquam me vnquàm locutum verbum aliquod,quod vel moleſtia, vel iniuria quenquam effecerit. Diſcite, & vos,Fratres, mutuò veſtra onera portare. Diſcite,& mutuam vobis inuicem venerationem,ac reuerentiam exhibere. Et ſi quiſpiam veſtrum aliquod, quod non admodum placeat, verbum audierit à quoquam; aut quicquam contra voluntatis ſuæ propoſitum patiatur;non ſtatim animo deficiat,& cõcidat;non illico contriſtetur;non certaminis & lucri tẽpore,ſoluto corde reperiatur, aut ignauo & remiſſo, vt quemlibet hoſtis inſultum, aut ictum

E ſufferre,

ſufferre, ac ſuſtinere non queat: Veluti ſolet in pepone contingere, qui ſi in paruum aliquod, & nimis anguſtum vaſculum conijciatur, colliditur, & contracto vulnere putreſcit; Sed potius firmiorem ac ſolidiorem animum habete, & longam atquè adeo magnam pectoris lenitatem posſidete; vt mutua inter vos charitas quicquid contingere ſolet perferat, atquè vincat. Et ſi quis veſtrum adminiſtrationem aliquam habuerit, neceſſeque fuerit quocunque tandem modo, vel olitori, vel œconomo, vel coquo, vel (vt ſemel finiam) cuiuis alij ex his, qui miniſterio aliquo funguntur, reſponſum aliquod dare; ſtudeat vterque, & qui reſponſum quærit, & qui daturus eſt reſponſum, in quacunque re ſtatum ſuum, & conditionem, atq; adèo animi ſui modeſtiam, & trãqnillitatem ſeruare; & nunquam permittat ſe in perturbationem, aut indignationem aliquam prolabi; nec voluntatem ſuam, aut iudicij cenſuram à diuino mandato aberrare, ſeu declinare patiatur: Cæterum, uti inuēta fuerit res, ſeu magna, ſiue parua, ſtatim illam abſquè delectu contemnat, ac pro nihilo ducat. Eſt enim huiuſmodi rerum contemptus haud quaquam contemnēdus, uel improbandus; neq; item rurſus curam illius rei gerat, pluſquàm ſtatus & conditionis ſuæ; præſertim, ſi animæ detrimentum, aut damnum incurrere contingat; propterea quòd à reipſa ſuperetur. Quacunque enim in re, urgenti licet admodum, & honeſta reperiamini, nolo uos per contentionem, aut turbulenter quicquã omnino faciatis; ſed ut cer-

ta per-

ta perſuaſione teneatis, omne opus,quodcunque agitis,magnum ſit licet,aut paruum; octauã partem eſſe eius rei,quam quęritis.Cuſtodire autem conditionem,& ſtatum proprium; & ſi contigerit propter hoc adminiſtratione ipſa priuari ; dimidiũ quatuor ex octauo. Videte, obſecro Fratres, quantum inter ſe diſtent. Quando igitur rem ali quã facitis,ſi perfectã, integrã,abſolutãq;eã facere vultis;hoc quidẽ eſt(vt dixi)octauũ.Si propriũ ſtatum, & conditionem ſeruare optatis illæſam ; hoc quidẽ eſt dimidiũ,nempè quatuor ex octauo. Quod ſi neceſsitas aliqua tranſgrediendi,& à præ cepto diuertẽdi incubuerit,& damnũ aliquod accipere, vel inferre quiſquã propter uſum admini ſtrationis explendæ cogatur ; non eſt æquum , ut quartum,ideſt dimidium octaui deperdat,quo cõ ſeruet octauum.Verùm enimuero , cùm aliquem iſtuc facientem cognoueritis,ſcitote eũ,qui eiuſmodi eſt,non in cognitione uera , adminiſtrationem ſuam exercere:Vel enim per inanem gloriã, & ambitionem,uel ut hominibus placeat , perſeuerat contendere;& ſeipſum & proximũ cruciat, atquè offendit; nimirum, ut poſtmodum audiat , Nemo eum potuit ſuperare . Papè magna eſt iſthæc fortitudo,atquè uirilitas. Non eſt profectò uictoria iſthæc,Fratres, non eſt lucrum ; ſed iactura eſt potius,ac damnum,& interitus . En ego dico uobis,ſi unquam aliquem ueſtrũ ad quoduis miniſterium & exercitium deſtinauero; & ille uiderit aliquam perturbationem emergere,aut damnum imminere , amputet illud actutum ; nec un-

quam ſe, aut alios lædere velit, aut permittat; ſed pereat miniſterium, ſeu negotium illud potius, nec fiat; dummodo nullæ inter vos fiant turbæ: Quandòquidem (vt dixi) dimidiũ, ideſt, quatuor ex octauo deperditis. Hæc autem à me dicuntur omnia; non, vt ſtatim puſillo animo ſitis; non vt res monaſterij dilapidetis, temereq́; proijciatis; non, vt contemnatis, ſusq́;, deq́; eas ferri ſinatis; non, vt conſcientiam veſtram conculcetis, volentes omnia pro nihilo ducere; neq́uè rurſus, vt obaudiatis; aut vt quisq́; veſtrum dicat, Non poſſum hoc facere; nocet mihi; nec omnia mihi conducũt: Quandoquidem huiuſcemodi ſermonibus, & tergiuerſatione nullum vnquàm perficeretis miniſterium; nequè diuinum expleretis mãdatum; Sed vt omnem veſtram exhibeatis induſtriam, omnibusq; viribus annitamini, quò miniſteria, & exercitia veſtra, mutua charitate & dilectione, perficiatis: In humilitate cordis vobis inuicem ſubditi eſtote, mutuò vos venerantes, & cohortantes, ſolantesq́;: Nihil enim eſt humilitate cordis efficacius, atq́; potentius. Porrò autem, ſi quis veſtrum fratrem ſuum viderit ad horã, afflictione aliqua, vel moleſtia depreſſum; lugete, & præ nimio dolore plangite; mutuò vobis cedite; nec expectetis, vt damnum aliquod, aut nocumentum ſubſequatur. Satius enim eſt (quod repetere vobis millies non grauabor) non fieri miniſterium, & exercitiũ veſtrum, etiam vt vultis, imò vt necesſitas tulerit, (modò id inſolẽter & peruicaciter nõ fiat) quàm iuſtè turbare vos inuicem, (tametſi rationabile

hoc videatur) & mutuò vos affligere, ac dimidiũ perdere, ideſt, quatuor ex octauo: Magna enim eſt damni huius differentia. Sæpenumero autem contingit, vt ipſum etiam octauum quis amittat, nihilque penitus agat. Talia enim ſunt opera, quę per contẽtionem fiunt. Quæ autem ipſi facimus, omnia ad vtilitatem aliquam percipiendam ex eis, facimus: At qúænam eſt hæc vtilitas, niſi mutuò nos humiliemur? Imò contrarium potius agimus; & noſmet mutuò turbamus, & affligimus inuicem. Atq; probè illud noſtis, quod in libro Seniorum ſcriptum habetur, Vita noſtra, & mors, ex proximo eſt. Obſecro vos, Fratres, vt hæc inter vos meditemini, & Seniorum ſententias, atq; ſermones continua exercitatione perſcrutemini; vt in charitate, & Timore Dei, mutuam veſtram ipſorum vtilitatem, atq; commodum, & animæ ſalutẽ inquirere ſtudeatis. Sic enim ex omnibus, quæ contingere ſolent, Domino auxiliãte, lucrum referre, atq; adeò proficere omnino valebitis. Ipſe autem benignisſimus, atquè humanisſimus Deus noſter Timorem ſuum vobis elargiatur. Dicit enim Propheta, Deum time, & mandata eius obſerua; hoc eſt, Omnis homo. Illi gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

EIVSDEM

NE QVISPIAM PROPRIA SE INSTITVAT,

ET INFORMET SAPIENTIA, aut prudentia.

SERMO V.

DIcitur in Prouerbijs, Ij, quibus nulla eſt gubernatio, decidunt, vt folia: Salus enim adeſt, vbi multum & copioſum eſt conſiliũ. Cõſiderate, Fratres, vim huiuſce ſententiæ: Videte quid ipſa nos doceat ſacroſancta ſcriptura: Monet enim, ac cauere nos docet, nè noſmetipſos inſtituere, & informare velimus; nè ſciolos nos, & prudẽtes, atq; cordatos exiſtimemus; nèue omnino credamus, poſſe noſipſos regere, aut gubernare. Opus enim eſt nobis auxilio; & præter ipſum Deum, opus eſt aliquo etiam, qui nos moderetur, & gubernet. Nihil enim eſt miſerabilius, nihilque quod facilius decipi, & expugnari queat, his, qui nullum habẽt ducem, nullumq; in via Dei moderatorem, & inſtitutorem quærunt. Quid enim ait diuina ſcriptura? Ij, quibus non eſt gubernatio, decidunt, vt folia. Folium quidem in principio ſemper eſt viride,

ride,ſemper floridum, iocundum, & delectabile; poſtmòdum verò paulatim languet,& areſcit, ac mox decidit; inde contemnitur, ac conculcatur. Pari modo ſe habet homo, qui à nemine gubernatur,aut regitur. Principio quidem feruorem habet quendam ad ieiunia,ad vigilias, ad quietem, & ſilentium,ad obedientiam,& cætera huiuſcemodi bona:deinde verò feruore illo ſenſim extincto; ſi nullum habuerit,qui & moderetur eum, & feruorem illum iam extinctum excitet,accendat,atque foueat, & nutriat; is proculdubio ceu arefactus,ac deſiccatus cadit,atquè in multos errores, & peccata perfacilè dilabitur; fitque miſer captiuus,& veluti mancipium ab hoſtibus ſuis ſusque, dequè raptatur, ludibrio exponitur; & ea deniq; fiunt in eo,quæ hoſtibus ſuis placent. De his verò,qui ſua omnia ſenioribus denuntiant,atq; aperiunt,nihilq; temere,& abſque conſilio gerunt,dicit Scriptura, Salus autem eſt in multo conſilio. Non dicit,In multo cõſilio; quaſi velit,vt vnumquenque quis conſulat;ſed vt in omnibus eum cõſulat,cui plenisſimã adhibere debet fidem; neq;, vt hoc taceat,illud verò loquatur,& edicat; ſed vt omnia penitus exponat & dicat; ac de omnibus conſultet,vt modò dixi.Ei autem, qui eſt eiuſmodi,Salus reuera eſt in multo conſilio. Niſi enim homo ſua omnia cuipiam viro probo exponat,ac veluti onus quoddam in ſinum amici reponat; ſi fuerit præſertim is, qui ex mala quadam conſuetudine,& praua conuerſatione ad bonorum conſortium venit; in hoc ſtatim diabolus propriam

inuenit volũtatem,propriam iuſtitiam, per quas illum deijciat,demoliatur,ac decipiat. Nam,cùm diabolus quempiam, qui peccare nullo modo velit,intuetur;non ita eſt ineptus,aut ad male agendum ignauus,vt ſtatim illi peccatum aliquod grauisſimum ſuggerat, aut ſcelus aliquod prophanũ ſuadeat;nequaquam enim illi dicit,Vade,& ſcortare;aut,furtum committe: Nouit enim,hæc à nobis prorſus non admitti: Cæterùm,cùm nequeat ſuggerere nobis ea, quæ prorſus nolumus, inuenit habere nos,(vt dixi) propriam voluntatem, propriamq́; iuſtitiam,per quas nos ſub rationabili quodam prætextu,lædat,ac ſupplãtet.Vnde rurſus dicitur,Malignus malè agit, etiam cùm iuſtitiæ ſe admiſcet. Malignus eſt diabolus. Tunc autem malè agit, cùm ſe iuſtitiæ admiſcet, hoc eſt, Iuſtificationibus noſtris. Tunc enim potentior eſt,tunc magis lædit, tunc fortius agit, & efficacius. Porrò autem,cùm propriam amplexamur, atq́ue adeò fouemus voluntatem,proprijsq́; nosipſos inſtituimus, & informamus iuſtificationibus;tunc nimirum,veluti boni quippiam factitantibus,nobis ipſis inſidias tendimus: Nec noſtram animaduertimus perniciem & interitum. Nam, quo pacto Dei voluntatem agnoſcere, vel prorſus inquirere valebimus; ſi nobis ipſis crediderimus, & propriam voluntatem firmiter tenuerimus? Propterea Abbas Paſtor crebrò dicere conſueuerat,Murus ferreus eſt voluntas propria,qui hominem à Deo ſeparat,atq; diuellit. Conſideras nè vim huiuſce ſententiæ? Ac rurſus idem

dicebat,

dicebat, Petra repercutiens eſt voluntas propria; ac ſi diceret, Petra oppoſita, & diuinæ voluntati repugnans eſt voluntas propria. Eam igitur ſi reliquerit homo, ſtatim dicet, In Deo meo tranſgrediar murum, Deus meus, immaculata via eius. Præclare quidem, & admiratione dignum. Tunc enim viam Domini, nullam habentem maculam, quis intuetur, cùm propriam reliquerit, & abiecerit voluntatem. Deinde & de iuſtitia ait Senex, Si autem & iuſtificatio noſtræ cooperatur voluntati, non bene conuertitur, nec bene conuerſatur homo. Papè quantam, ac qualem habent ſanctorum verba conſequentiam. Ipſiſſimus interitus, ac mors eſt, iuſtitia, voluntate propria cõmixta, ingens periculum, ſummusq; timor eſt. Tũc omnino miſer cadit, ac perit funditus. Quis enim ei, qui eiuſmodi eſt, perſuadere poterit, vt credat? Cùm nouit homo, potiorem ſui partem vtilem eſſe ſibi, tunc propriæ ſe penitus tradit opinioni, propriæque voluntati, & iudicio dedit. Proinde tunc, vt optat, inimicus, caſum illi propinat, ruinam præſtruit. Iccirco dicitur, Malignus tunc malè agit, cùm ſe iuſtitiæ immiſcet. Dicitur etiam, Odit tutelæ, ſeu cautionis nomen: Quandoquidem non tantùm tutelam, ſeu cautionem ipſam odit verſutus inimicus; verum etiam ſonum, ac vocem eius odio habet; nec audire prorſus eam poteſt, hoc eſt, non poteſt audire, vt de ea quiſquam loquatur. Vt exempli cauſa quid dicam, Antequam operetur, qui de vtilitate quicquam interrogat; antequam

inimicus

inimicus agnoſcat, num quæ audierit diſcipulus obſeruet nec nè; odit tamẽ omnino ipſam interrogationem;odit attentionem; odit quicquid vti le narratur & dicitur;odit denique vocem ipſam, & ſonum talium verborum;odit,inquam, & auerſatur.Sed dicã,cur iſthuc faciat:Nouit enim verſutus inimicus, notam eſſe verſutiam ac malitiam ſuam,eo quòd de vtilitate interrogent,ac ſermonem exerceant. Nec quiſquam adeo timet,fugit, & odit,quàm nè malitia ſua pandatur,atq; agnoſcatur.Quandòquidẽ nihil poſtmodum inueniet, quod ad hominum inſidias ſtruat,vt optat. Nam ſi anima noſtra muniatur,& ſibi cauerit,dum patefiunt & aperiuntur illi omnia; dum à quopiam non ignaro audit,Hoc facito,illud nõ facito; hoc bonum eſt,illud nequaquam;hoc iuſtum eſt,illud verò non iuſtum;ſed voluntas eſt propria. Item ſi audierit,Adhuc non eſt huius rei tempus:Poſtmodum verò audierit,Nunc eſt illius rei tẽpus;profectò non inueniet diabolus,quo prætextu animã lædat,aut ſupplantet,& deijciat; cùm ſemper (vt dixi)regatur,ac gubernetur, & vndequaque muniatur; fiatq; in ea quod dicitur,Salus eſt in multo conſilio. Quod vtique nollet verſutus inimicus:nam perpetuo id odio proſequitur;velletque peruersè,ac malè agere. Et his potiſſimũ aggaudet,qui moderatore,gubernatoreq; carent.Quare id obſecro?Quia qui eiuſmodi ſunt,vt folia decidunt.Ecce illum profectò Fratrem amabat diabolus,de quo ad beatum Macarium Abbatem dixit. Habeo quendam ex Fratribus tuis, qui,cùm

me

me videt,vt turbo voluitur,vt ventus mutatur, & vertitur. Iſtiuſmodi profectò homines amat diabolus; his maximè delectatur, qui duce & gubernatore carent;qui ſua non exponunt,nec ſe ſummittunt eis, qui adiuuare eos, ſecundo loco poſt Deum,poterunt,& manus porrigere.Num ad omnes fratres non proficiſcebatur dæmon ille, quē Sanctus quidam pater vidit multas circumferentem potiunculas, multaq́; vaſcula circumgeſtantem?Nonne hic omnibus propinabat? Ceterum quicunq́ue pocula illa guſtabat, cognita fraude, detectis inſidijs accurrebat ad patrem, & moderatori ſuo cogitationes omnes cordis ſui detegebat, auxiliumq́; oportuno tempore in ſuis tentationibus perfacilè inueniebat. Vnde nullum aduerſus eos vigorem habuit hoſtis ille malignus; niſi aduerſus eum tantùm, quem miſerum reperit,ſeipſum inſtituere,& docere volentem;qui nō habebat à quo conſilium, auxiliumuè capere poſſet.Hunc pro ludibrio habuit; huic, cùm recederet,gratias egit,cæteros deteſtatus. Cùm autem rē omnē viro illi ſanctiſſimo aperuiſſet dæmon; & nomē Fratris illius,qui iam deceptus erat,edidiſſet; accurrit illico Pater Sanctus ad Fratrem, atquè illam ſolam perditionis ſuæ cauſam fuiſſe comperit. Nam inuenit, eum nolle fateri,nolle ſuum vulnus aperire; inuenit eum non aſſuetum ſeipſum accuſare, vel ſecreta ſui cordis cuiquam reuelare; propterea deiecit eū,ac ſubuertit,pertraxitq́ue quo voluit malignus inimicus. Interrogatus enim à Viro ſanctiſſimo, quomodo ſua
ſe

ſe haberent; Reſpondit, Benè pater, tuis orationibus. Rurſus illo interrogante, num eum cogitationes impugnarent? Reſpondit, Hactenus benè, ac probè me habeo pater: Nec omnino fateri voluit, donec arte quadam, & multo labore perſuaſit ſanctus, vt quæ animo teneret, ediceret, ac patefaceret. Itaque Sanctus ille pater, habito, ſermone cum eo de Deo, tutum, munitumq́; eũ, ac ſtabilem reddidit: Et reuerſus eſt. Rurſus ad eum profectus eſt more ſolito verſipellis inimicus, volens illum, vt antea, ſubuertere: Deniq́ue re infecta, turpiter abſceſsit: Inuenerat enim eum obfirmatum ac ſtabilem, nec, vt antea, delirum, ac ridiculum. Itaq́ue (vt dixi) re infecta, turpiter abſceſſit, ſuperatus, ac deluſus ab eo. Cumquè iterũ eſſet à viro illo ſancto dæmon interrogatus, Quomodo ſe haberet, quiduè ageret Frater ille amicus eius? Non amplius, inquit, amicus eſt ille, ſed inimicus; ac malè illi imprecatus, dixit; Auerſus eſt, & receſſit à me, nec obtemperat mihi amplius; ſed cæteris omnibus effectus eſt ferocior, & agreſtior. Ecce quomodo diabolus odio habet vel ſonum tutelæ: Quandoquidem in primis ex omni parte appetit perditionem & interitum noſtrum. Ecce cur eos diligat inimicus, qui ſe inſtituere & docere volunt; nimirum, quia coadiutores, & cooperatores diaboli ſunt; ſibiq́ue ipſis in ſidias ſtruunt. Ego profectò caſum vllum alium Monachis contigiſſe neſcio, præter hunc, nempè, quia iudicio & ſenſui cordis ſui facilè credunt, at-

què

què obtemperant. Aiunt nonnulli, propter hoc cadit Monachus; alij, propter illud. Ego verò (vt modò dixi) caſum alium eueniſſe cuipiam neſcio, niſi quia proprio iudicio, & cordi ſuo credit. Itaque, cùm videris quempiam cecidiſſe, ſcito nullam aliam potiorem eſſe cauſam, quàm quòd cordi ſuo credidit, & ſeipſum inſtruere voluit. Nihil hoc pernicioſius, nihil deterius. Protexit me Deus, & auxiliatus eſt mihi, fateor. Semper equidem huiuſmodi pernicioſam peſtem, & periculoſum hunc caſum timui. Cùm enim eſſem vnà cum cæteris Fratribus in Cœnobio, omnia mea exponebam Seniori meo Ioanni Abbati: neque quicquam omnino facere audebam, præter eius ſententiam: interdumque mihi cogitatio dicebat, nonne hoc tibi reſpondebit, & dicet, quod ego, ſenex? Quid igitur nunc turbare illum, & faſtidio illi eſſe pergis? Ego verò vehementer iratus, & infenſus cogitationibus meis dicebam, Anathema tibi, & iudicio tuo, & intelligentiæ, ac prudentiæ tuæ, cogitationi, & ſcientiæ tuæ; quandòquidem quicquid noſti, à dæmonibus illud habes, & ab eis didiciſti. Atquè illico ad Seniorem ibam, & interrogabam eum; & cùm fortè eueniſſet, vt idipſum mihi ſenex reſponderet, quod antea cogitatio mea præuidiſſet, ſtatim cogitatio mea mihi inſultãdo dicebat, Quid ergo? en id eſt quod prædixi; an non importunè Senem obturbaſti; Cui ego contrà reſpondebam, At nũc bonũ eſt; nũc à ſpiritu ſancto eſt; Quicquid enim tuum eſt, malũ, ac pernicioſum eſt, à dæmonibus eſt, ab

affectu ægroto, à ſtatu turbato eſt. Atq; hoc pacto nūquā mihi permiſi, nunquā paſſus ſum, vt cogitationibus meis crederem; niſi prius interrogarē, ac conſulerē ſeniorē. Proinde credite mihi, Fratres, tāta quiete, & animi tranquillitate fruebar, vt plerunq; indignarer, nec libēter id ferrē. Quod memini alias dixiſſe vobis. Audieram enim, per magnas, ac multas tribulationes & afflictiones oportere nos in regnum cœlorum ingredi; nec videbā, me aliquam interim pati tribulationem. Itaque formidabam, addubitabamque vehementer, cùm huiuſmodi quietis & tranquillitatis cauſam nōdum agnoſcerem, donec mihi Senex rem aperuit, dicens, Nè ſollicitus & anxius ſis Fili, nè mœrore graueris, ſi afflictione nulla, aut nulla tribulatione concuteris: Quoniam quicunque ſeſe tradiderit obedientiæ ſuorum patrum, & illorum arbitrio regendum ſe dederit, iſthac profectò quiete, & animi tranquillitate fruetur. Satagite & vos, Fratres, atque operam date, vt crebrò ſeniores veſtros, ac patres interrogetis, interpelletisq;; nec voſipſos inſtituere, aut inſtruere omnino velitis. Cognoſcite, quæſo, quantam, ac qualē animi quietem & tranquillitatem habeat hoc cōſilium; quantam, ac qualem lætitiam, & gaudium præbeat hoc negotium. Verum enimuerò, quoniam nullam me vnquàm afflictionem ac tribulationem ſenſiſſe dixi; Audite, obſecro, quid mihi quondam, cùm adhuc degerem in Cœnobio, cōtigerit. Ingens me, & intolerabilis, die quadam, inuaſit mœror, ac triſtitia; tantoq; dolore, anxieta-

te, & gemitu laborabam, vt agere animam mihi viderer. Erat autem hæc afflictio ex dæmonũ inſidijs, & huiuſmodi tentatio liuore & inuidia diaboli illata. Grauisſima quidem illa, ſed breui admodum tempore perdurauit. Grauis, inquã, erat, & vrgens, obſcura ac tenebroſa, nullum admittẽs ſolamen, nullam habens requiem; ſed vndequaq; gemitus & anguſtia, vndequaq; anxietas & ſuffocatio. Sed quamprimum affuit diuina gratia, quæ fouit animam, atq; protexit: quãdoquidem adeo ingruerat, ac ſæuierat tribulatio illa, vt ferre eam poſſet nemo. Eram igitur quadam die (vt dixi) in huiuſmodi tentationis moleſtia, ac mœroris anguſtia; & dum ſtarem matutinus ſub dio, paruipẽdens omnia, ac Deum ipſum pro tentatione mea precibus fatigarem; ecce repentè video in eccleſia virum grauisſimum, Epiſcopali ſchemate inſignem, ſacra quædam manibus ferentem, ſacrariũ ingredi. Ego verò, qui nunquam, ex veteri Monachorum conſuetudine, hoſpitibus adhæſeram; abſque necesſitate, aut ſine permisſione & voluntate ſenioris, ac patris Monaſterij, eo tẽpore, neſcio quo trahente, illum ſequutus ſum. At ille nõ exiguo tempore, erectis ad cœlum manibus, orando permanſit. Ego autem interim ponè multo pauore correptus aſtabam: Inuaſerat enim me timor ex aſpectu illius. Vbi verò ab oratione ceſſauit, conuerſus ad mè venit; & quantò propius accedebat, tantò magis ego & triſtitiam, & timorẽ abſcedere ſentiebam. Itaq; vbi coram mè ſtetit, manum extendit, & tetigit pectus meum, ac digitis il-

tis illud percusſit,dicens,Expectās expectaui Dominum,& attendit mihi;& exaudiuit precē meā, & eduxit me de lacu miſeriæ,& de luto fecis;& ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos; & immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro. Atquè hos verſiculos omnes tertiò dixit,percutiens (vt dixi) pectus meum digitis. Quo facto recesſit, & lumen ingens effulſit in corde meo;vehemens gaudium, magna conſolatio,dulcedoq; non modica facta eſt mihi: Dein in alium tranſmutatus ſum virum. Vt igitur abſcesſit,accurro ego poſt eum, volens agnoſcere; nec inueni; neq; etiā amplius videre eum potui. Ex ea igitur hora, miſeratione quadam diuina, non aliqua,me ſenſi, perturbatione, aut triſtitia, & timore vexari amplius;ſed ſua me Deus hactenus bonitate protexit,meritis, & orationibus illorum ſanctorum ſenum.Hæc vobis recenſui,Fratres,illud volens oſtendere, atq; ob oculos animi vobis exponere, quantam habeat quietem & animi tranquillitatem;quo munimine,quàue ſtabilitate & protectione fultus ſit ille, qui ſeipſum inſtituere & docere noluerit;ſed ſua omnia ad Deū referat,ſeq; ad illius pedes proijciat, atq; proſternat;& eos audiat,atq; obſeruet, qui, poſt Deum, inſtruere illum,ac dirigere,& moderari poterūt. Diſcite igitur & vos, Fratres,interrogare, ac percontari ſeniores veſtros. Diſcite vos ipſos nō inſtituere,non voſmet docere,atq; informare, non vobis credere,non veſtris viribus, aut prudentiæ fidere.Hoc profectò bonum,atq; honeſtum eſt;hu
militas

militas hæc eſt; quies,tranquillitas, & gaudium eſt.Quænam vtilitas,quis vſus eſt, fruſtrà ſe quẽquam macerare, atquè conterere? Non licet profectò,nec omnino fieri poteſt, vt ſalutem quis alio modo conſequatur, quàm quo ſupra dictum eſt. At dicet fortaſſè,cogitatione ſua, quiſpiam, quid facturus eſt ille,qui neminem habeat, quem interroget? Enim uerò, quicunque Dei voluntatem in veritate quærit,& eam exequi deſiderat; hunc Deus nullo pacto deſerit;ſed omnino protegit,& ſecundum ſuam diuinam voluntatem dirigit, ac moderatur. Reuera autem, ſi cor ſuum quiſpiam ad Dei voluntatẽ faciendã direxit,huic procul dubio diriget Deus, vel paruulũ quendã, atquè adeo infantulum puerum, qui illuminatus illuminet eum; & oſtendat illi quo pacto facere Dei voluntatem queat. Si verò non rectè, nec veſè, ſed fictè Dei voluntatem quæſierit; etiam ſi Prophetam aliquem audierit; immittet Deus in cor Prophetæ illius, quid reſpondere debeat illi, qui huiuſmodi peruerſum ac tortuoſum habet cor,quemadmodum ait ſcriptura, Si autem errauerit,& loquutus fuerit Propheta, Ego Dominus errare feci Prophetam illum. Iccirco debemus nos ipſos totis viribus ad Dei voluntatem dirigere, & cordi noſtro non credere, nec fidere, vel obtemperare voluntati proppriæ. Cæterum, ſi res aliqua bona fuerit; & audierimus à viro quopiam ſancto, rem illam eſſe bonam; debemus quidem credere, rem bonam eſſe; non tamen credere nobis ipſis, quòd bene erga

illam nos ipſos,vt oportet,geramus ; aut vtamur illa,vt debemus ; ſed facere nos quidem pro viribus.Adijciendum eſt illud quoque,quò id fecerimus:nec ignorandum,vtrum bene fecerimus . Et poſt hæc omnia,neq; eſt adhuc quieſcendum , ſed ſuſpiciendum eſt, atquè expectandum iudicium Dei . Quemadmodũ præclarè Sanctus ille Abbas Agathon dixit , qui, cũ interrogatus eſſet,an ipſe quoq; timeret ? reſpondit, Hactenus quidem ego pro viribus meis laboraui, & annixus ſum : Vtrũ autem gratum & acceptum ſit Deo opus meum , non noui. Aliud enim eſt Dei iudicium,aliud hominum. Bonitas autem Dei protegat nos à periculo eorũ,qui ſeipſos inſtituere & docere volunt; & dignos nos faciat, quòd Sanctorum noſtrorum Patrum veſtigia & inſtituta firmiter , ac fideliter teneamus. Amen.

QVOD PROXIMVM IVDICARE.

non debemus.

SERMO VI.

SI dicta Sanctorum Patrum meminerimus, Fratres , & perpetua ea memoria reuoluerimus ; non ita faciles profectò erimus ad errores committendos ; nec ita facilè nos ipſos negligemus.Si enim (vt præclarè illi aiebant) quæ exigua ſunt,& nullius

momenti,non contempſerimus;ad ea,quæ maiora ſunt, & grauiora peccata prolabi non poterimus. Semper equidem & dicere,& admonere vos ſoleo,ex his, quæ minima,ac leuia videntur;nempè,cùm dicimus,Quid eſt hoc?Quid eſt illud? praua m quandam gigni in anima noſtra conſuetudinem;& iam incipere nos ad maiora, ac grauiora contemnenda prolabi. Ecce quàm graue peccatũ & ſcelus ſit,proximum iudicare. Quid enim grauius,quid eſt hoc vitio moleſtius,atq; inſuauius? Quid magis auerſatur & abominatur Deus, quã crimen hoc,vt prçclarè omnes aſſerunt patres noſtri? Quandoquidem nihil peius, nihil deterius, quàm proximum iudicare,cenſuerunt. Et tamen ex paruis,minimisq́;, ac nullius momenti vitijs, progreditur quis ad tam graue ſcelus, & malum inſuaue. Ex eo enim,quòd parum eſſe putamus, ſuſpicionem aliquam aduerſus proximum concipere,ac fouere; ex eò etiam quòd dicimus, Quid refert,ſi audiero,quid dicat Frater ille? Quid refert,ſi dixero verbùm hoc? Quid refert,ſi videro quò Frater ille progrediatur?aut quid hoſpes ille faciat?Incipit mens noſtra,propria peccata, & errores proprios dimittere,ac negligere, & contra proximum nugarï, ac futili loquacitate iocari. Hinc poſtmodum illud naſcitur,nẽpè,quòd proximum dijudicamus,condemnamusq́;, & contra eũ obloquimur,ac eũ nihili facimus. Ex quibus quidem erroribus dubio procul fit, vt in eadem vitia prolabamur, quæ ipſi damnaueramus in alijs. Qui enim propria mala, & errores ſuos negligit

qui proprium (vt dici ſolet) cadauer non deflet, is profectò ad nullum opus præclarum & laude dignum omnino ſeſe erigere poterit; ſed ſemper in proximi operibus mordendis,dijudicandisque occupabitur. Atqui nihil adeo prouocat Deum ad iram, nihil ita hominem ſpoliat,& omni præſidio ac virtute denudat,nec non ad ſummum diſcrimen adducit, vt contra proximum obloqui; vt proximum dijudicare, ac condemnare; & nihili eum ducere. Aliud enim eſt, obloqui; aliud dijudicare,ſeu condemnare;aliud nihili pendere. Obloqui enim,eſt,contra aliquem loqui;vt exempli cauſa, Ille mentitus eſt;ille furore correptus eſt; ille fornicatus eſt, aut tale quippiam fecit. Iam enim contra eum loquutus eſt; & quadam animi paſſione peccata & errores illius edixit, atquè vulgauit. Dijudicare autem,ſeu condemnare,eſt,cùm dicimus, Ille mendax eſt; Ille iracundus eſt; Ille fornicator eſt. En dijudicauit animi affectum, & diſpoſitionem; & de tota vita illius ſententiam protulit,dicẽs,quòd talis eſſet; & talem eum dijudicauit. Quæ res eſt admodum grauis. Nam aliud eſt dicere, ille iratus eſt: aliud eſt dicere,ille iracundus eſt; hoc enim de tota illius (vt dixi) vita definit,ac ſententiam profert. Atquè adeò graue & moleſtum eſt de quouis peccata iudicare, vt Chriſtus in Euangelio apertè dixerit, Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc poteris eijcere feſtucam de oculo Fratris tui. Comparauit autem proximi peccatum feſtucæ, Iudicium verò trabi.

Vſqueadeo graue & inſuaue eſt, proximum iudicare, vt ferè omne peccatum excedat. Phariſæus autem ille, qui & precabatur, & gratias Deo de bonis operibus ſuis agebat, non vtique mentiebatur, ſed aſſerebat veritatem: nequè ob id condemnatus eſt quidem. Debemus enim in primis Deo gratias agere, qui nos dignos effecerit, vt boni, ac recti quippiã agere poſſimus: Quippè qui & auxilium præſtitit, & cooperatus eſt nobis. Quare (vt modò dixi) non eſt ille damnatus, eo quòd dixerit, Non ſum vt cæteri hominum, ſed quia cõuerſus ad Publicanum, dixit, Nequè vt hic Publicanus. Tunc enim peccatum eius grauatum eſt, & ipſe iudicatus; quia iudicauit perſonam illius, & eius animi affectum, ac totam denique vitam. Propterea deſcendit Publicanus iuſtificatus magis, quàm ille. Nihil enim grauius, nihil moleſtius, nihil denique (vt ſæpe diximus) difficilius, atquè inſuauius, quàm proximũ dijudicare, atquè contemnere. Cur, obſecro, noſmetipſos potius non dijudicamus? Cur mala noſtra, noſtroſque errores; & ea potiſſimùm, de quibus rationem reddere Deo debemus; exactè agnoſcere non ſtudemus? Cur Dei iudicium nobis vſurpamus? Quid ad nos de creatura eius? Nonnè contremiſcere potius deberemus, cùm id, quod magno illi ſeni acciderit, audimus? Qui, cùm audiſſet, quendam ex Fratribus in fornicationem cecidiſſe, dixit, Oh quã malè egit. An neſcitis, Fratres, quã horrẽda res de ipſo narratur in libro ſeniorũ? Nã Angelus Sanctus animã illius, qui pec-

carat, cùm iam ex hac vita migraſſet, ad ſenem hunc detulit, & ait illi, Ecce quem iudicaſti, vita functus eſt: Quo igitur animam eius iubes deferri; ad cœlorum regnũ, an ad pœnas ęternas? Quid hac re, ſanè moleſta, magis horrendũ? Quid quæſo aliud innuere ſeni volebat Angelicus ſermo, quàm hoc? Quoniam tu iam iudex, ac cenſor es iuſtorum, ſimul & peccatorum, dic obſecro mihi, quid fieri iubes de hac miſera anima? Cenſes nè miſericordia dignam, an pœna & cruciatu? Qua quidem horrẽda viſione adeo perculſus eſt ſenior ille ſanctisſimus, vt totum reliquum vitæ ſuæ tempus in gemitibus, in lachrimis, in innumeris erũnis, & laboribus egerit; Deum asſiduis precibus fatigans & pulſans, vt veniam tanti ſceleris, & erroris commisſi ſibi concederet. Ad pedes itidem Angeli poſtea cum ſe prouoluiſſet, & veniam impetraſſet, audiuit eum dicentem, Ecce oſtendit tibi Deus, quàm graue ſit, proximum dijudicare; nè poſthac amplius rem hanc commiſeris. Licet igitur veniam fuerit aſſecutus, nunquam tamen conſolationem penitus admiſit; nec eius anima vnquam ceſſauit à luctu, donec morte vitam commutaſſet. Quid igitur nobis de proximo? quid nobis de alieno malo, & peccato? Habemus certè nos ipſi, Fratres, in nobis quid curemus; habemus quid cogitare & ſatagere debeamus. Vnuſquiſq; autem noſtrum attendat ſibi ipſi, & ſua ipſius mala caueat. Dei ſolius eſt iuſtificare, & condemnare; qui certè nouit, & conditionem noſtram, & ſtatum, & vires noſtras; inſuper & conuerſationes, &

munera gratuita, & temperamentum ſeu compo ſitionem,complexionemq́; noſtram; deniq; aptitudinem,ac proprietatem vniuſcuiuſq; noſtrum, non modò nouit,ſed quodq́; horum diſcernit, atquè dijudicat,vt ſolus ipſe nouit. Aliter enim diju dicat Deus Epiſcopos ; aliter Principes,ac magiſtratus; Aliter prælatos, aliter dijudicat ſubditos; Aliter prçceptores,aliter diſcipulos; Aliter ſenes, aliter iuuenes; Aliter ægrotos,& malè habentes, aliter ſanos & robuſtos. Cæterum quis hęc omnia rectè expedire iudicia omnino poſſet, niſi ſolus il le,qui fecit & condidit omnia; qui nouit ea antequàm fierent? Memini huiuſcemodi quondam au ribus percepiſſe facinus, Nauigium quoddã mancipijs onuſtum ad quandam appuliſſe ciuitatem: erat autem in ea ciuitate Virgo quædam ſanctisſi ma ſalutis ſuę admodum diligẽs,& ſtudioſa; quæ, cùm hoc audiſſet,gauiſa eſt non modicum: Optabat enim ex his ancillulam ſibi comparare valde paruam, quam ſuo arbitratu educaret, & in Dei timore enutriret; nè vllã, ſcilicet, huius ſeculi labem,aut malitiam penitus addiſceret. Miſit igitur,qui nauis gubernatorem accerſiret; quẽ duas habere valde paruulas, & quales optabat ipſa vir go,comperit: Statimq́; ſumma alacritate, & lætitia pretium ſoluit,atq́; alteram ſibi aſciſcit puellulam. Vt igitur abſceſsit gubernator à Virgine il la Sancta,paululum admodum progreſſus, obuiã habuit Scenicam quandam mulierem,vndequaq; ſuauem & comem ; quæ,cùm puellulam illam alteram aſpexiſſet,placuiſſetq́;,actutum ſibi pretio

 ſimiliter

ſimiliter comparauit, ac ſecum adduxit. Conſiderate, obſecro, myſterium Dei; conſiderate iudicium. Quiſnam huius rei rationem reddere poteſt? Aſſummit ſibi Virgo illa Sancta puellulam primam, & in timore Dei illam enutrit, inſtituit, atquè ad omne opus bonum informat; docet eã, Monaſticam diſciplinam, conuerſationem Sanctam, & omnem Angelicam ſuauitatem, mandatorumque Dei fragrantiam. Altera verò miſerrima puella, quæ à Scenica illa meretrice empta, atquè ſuſcepta eſt, effecta eſt diaboli ergaſtulum. Quid enim aliud habebat furia illa, quod doceret quàm eius animæ perniciem? Quid igitur de horrendo hoc Dei iudicio effari poſſumus? Ambæ paruulæ erant, ambæ venundatæ, & ignaræ quònam eſſent ituræ, aut quem exitum habituræ. Et ecce altera ad Dei manus peruenit: Altera verò ad manus diaboli incidit. Num igitur, obſecro, dici poteſt, quare? Num ab hac tantùm rationem petet Deus? Petet certè, & ab altera. Sed quomodo id fieri poteſt? Si enim ambæ ſcortationis crimen, aut aliquod aliud ſcelus pariter incurriſſent, perfacilè aſſerere poſſemus, ambas idem iudicium ſubituras, cùm idem ambabus error contigerit. Quomodo igitur id probabile fiet? Cùm altera, Dei iudicio, de regno Dei apprimè fuerit edocta, & inter eloquia Dei noctes, atquè dies fuerit verſata: Altera verò infelix nihil vnquam audiuerit boni: Imò contrà, omne malum didicerit; omnia turpia & obſcena, omnia Diabolica ſuis auribus ſemper inſonuerint,

Quomo-

Quomodo igitur probabile fuerit, vt eadem, ab vtriſque, exacta diligentia exigatur? Itaquè non poteſt homo prorſus iudicia Dei noſſe: Cæterum ipſe ſolus eſt Deus, qui omnia comprehendit, qui poteſt ſigillatim vniuerſa diſcernere, vt qui ſolus omnia nouit. Re vera autem contingit plerunque, vt aliquis ex Fratribus rem aliquam in ſua ſimplicitate agat, quæ tibi fortaſſe nō admodum arridet. At verò & aliquam aliam rem habet, qua Deo mirum in modum, ac pluſquam omnis vitæ tuæ curſus, perplaceat. Tu autem ſedentarius & otioſus illum dijudicas, & animam tuam lædis. Porrò, ſi contigerit, vt deflectat, & labatur, vnde quæſo tu noſti, quanta ille pertulerit prius, quo certamine ſudauerit, aut quanto ſanguine maduerit? fortaſſe fieri poteſt, vt error illius coram Deo, tanquam iuſtitia reputetur. Intuetur enim Deus agonem & laborem illius, & afflictionem, quam (vt dixi) pertulit, antequam errorem illum & caſum incurrerit; proindeque miſeretur, & ignoſcit. Itaquè Deus miſeretur, & veniam illi præſtat; tu verò condemnas, & animam tuam perdis. Vnde, quæſo, tu noſti quàm largas & vberes effuderit ille pro ſuo delicto lachrimas, ante conſpectum Domini? Tu quidem delictum & errorem illius noſti, atquè animo verſas; reſipiſcentiam verò, atquè animi pœnitudinem ignoras penitus. Interdum verò non modò dijudicamus Fratrem, ſed aſpernamur etiam, ac nihili facimus: Aliud eſt enim (vt diximus) diiudicare, aliud aſpernari, atq; contemnere Fratrem.

trem. Nam contemptus eſt, quando non ſolũ proximum dijudicamus, ſed aſpernamur, ac pro nihilo habemus, & veluti rem inſuauẽ abominamur. Quod quidem longè deterius eſt, quàm ſi iudicaremus; ac multo pernicioſius. Qui autem ſalutem aſſequi optant, minimis proximorum delictis & erroribus non attendunt, neq; ea curioſius inueſtigant; ſed ſua tantum curantes, proficiunt ſemper: Qualis erat ille, qui, cùm Fratrem ſuum cecidiſſe, ac neſcio quid ſceleris perpetraſſe, fortè perciperet, igemiſcẽs dixit, Hei mihi, ille hodie, cras vtiq́ue & ego. Cernis cautionem? Intueris animi promptitudinem? quemadmodũ, videlicet, actutũ effugit, nè proximum, ac Fratrem ſuũ iudicaret. Ob id enim, quod dixit, Cras vtiq́; & ego; ſibi ipſi timorem incusſit, & ſollicitudinem iniecit, nè eodem & ipſe ſcelere inuolueretur; & ſic euaſit, nè proximum ſuum dijudicaret. Nequè ſatis id fuit, ſed humiliauit ſeipſum, ſeq́; illi ſubmiſit dicens, Ille quidem reſipiſcet, & de ſuo errore pœnitentiam aget; Ego verò fortaſsè nequaquàm: Nequaquàm prorſus, quia ſegnis ſum, & reſipiſcere cunctor. Vides nè huius beatæ animæ lumen? quæ nõ modò, ne proximum ſuũ dijudicaret, effugit; ſed ſeipſam quoq́; demiſit; atq; adeo illi ſubiecit. At nos miſeri, citra delectum iudicamus, faſtidimus, odimusq́;, ac nihili facimus quicquid videmus, quicquid audimus, quicquid tandem ſuſpectum habemus: Et, quod longè grauius eſt, non malo ac damno noſtro contenti, cæteros in communem ruinam pertrahimus. Quemcunq; enim ex Fra-

tribus

tribus obuium habuerimus, confeſtim illum allo quimur,ac dicimus,Illud,& illud effectũ eſt;eique pariter nocemus,ac lædimus, dum cordi eius pra uas cogitationes,lutulẽtasq; cloacas ingerimus: Nec eũ timemus,qui dicit,Veh,veh illi,qui proxi mo ſuo turbidam ſubuerſionis potionem propinat. Cæterum cùm hoc agimus,dæmonis peragimus opus,ac munus: Neq; id curæ prorſus nobis: Quod enim opus aliud agit dæmon,quàm lædere & obturbare quenq;? Itaq; dæmonum ſumus coadiutores,& cooperatores in noſtram ipſorum,ac proximorum perniciem,& ruinam. Nam qui lædit animas,cooperator eſt, & coadiutor dæmonũ: Quemadmodum & qui adiuuat aliquem,atq; ani mæ prodeſt,coadiutor eſt, & cooperator ſanctorũ Angelorum. Vnde autem iſthæc patimur,niſi ex eo,quòd Charitate vacamus? Nulla enim,vel admodum tenuis & exigua ineſt nobis Charitas. Nam,ſi Charitatem haberemus,leni quodam,atquè miſericordi animi affectu,errores, & peccata proximi intueremur; quia Charitas, (vt Petrus inquit Apoſtolus) operit multitudinem peccatorum: & rurſus Paulus ait, Charitas non cogitat malum,ſed omnia ſuffert, ac tolerat, omnia credit,omnia ſperat,omnia ſuſtinet, & quæ ſequuntur. Itaquè,Fratres,ſi Charitatem (vt modò dixi) nos haberemus;cùm errores,ac delicta hominum intueremur; omnia illa delicta,& errores,Charitate ſancta,obtegeremus: Quod à ſanctis quidem omnibus fieri non ignoramus: Neq; enim oculis capti ſunt ſancti viri; qui peccata & errores hominum

minum non intueantur. Quis enim ita abominatur,& odio proſequitur peccata,vt Sancti viri? & tamen peccatorem non abominantur; neque odio proſequuntur omnino; neque item dijudicant,aut illius facta diſquirunt; ſed condoleſcunt potius,admonent,hortantur, medentur,& vt debile membrum,atq; infirmum,curant ac fouent: nihil denique omittunt,aut negligunt, quo ſalutem ille conſequi valeat. Quemadmodum enim piſcatores,cùm,iacto hamo in mare, piſcem aliquem pręgrandem ceperint;ſi miſcere illum turbas, ac magna vi concuti ſenſerint; non temere illum,ac ſtatim extrahunt; quandoquidem filum abrumperet, & demum amitteretur; ſed molliter,ingenioſeq;, ac ſcitè remittunt filum,ſinuntque illum abire quò voluerit: Cùm verò, defectis viribus,iam laſſum agnouerint; tunc ſenſim extrahere illum incipiunt. Pari modo viri ſancti lenitate, charitateque allicere Fratrem pro viribus conantur;nec ita facile à ſe illum abdicant, nec odio,aut amarulentia proſequuntur: ſed veluti mater quædam, deformem habens filium,nõ auerſatur eum ſtatim,nec faſtidit, aut abominatur; verùm benignè eum fouet, comit, gratiorem, ornatioremque reddere illum ſtudet. Itidem & viri Sancti peccatorem protegunt, ornãt, adiuuant atquè tuentur,cadentem erigunt, & in ſalutis viam dirigunt; neque alium ab eo quenquam omnino lædi ſinunt: Ipſi verò in Chriſti charitate magis, ac magis proficiunt. Quid Amon ſanctiſſimus effecit, cùm ad eum Fratres

quidam

quidam veniſſent bili,atquè ira perciti, dicentes, Eia,Pater, intuere mulierem, quæ in cella huius Fratris eſt? Bone Deus, quæ miſerationis viſcera oſtendit? Quantam præ ſe tulit anima illa ſanctisſima charitatem? Cùm enim non ignoraret, mulierem ſub pythario abſconditam haberi, latereque ibi, ingreſſus cellam, ſuper pytharium ſedit; iusſitque vt cellam vniuerſam fratres perſcrutarentur, & quærerent. Sed,cùm nihil penitus inueniſſent,dixit ad eos, Parcat vobis Deus, Fratres. Quo facto, penè illos confuſos dimiſit; præmonuitque nè facilè quicquam aduerſus proximum crederent: Illum verò Fratrem,correctione ſua,modeſtum,ac ſobrium reddidit. Nactus enim opportunum tempus, expulſis omnibus, manum illius apprehendit, & ait illi, Attende tibi Frater, & curam tui ſolius habe: Ille verò compunctus ſtatim reſipuit, & ſenis humanitate ſanatus eſt. Nos igitur charitatem erga proximum posſideamus,ac miſericordiæ viſceribus induamur; vt à grauisſimo maledicendi,ac detrahendi morbo liberemur; vt à dijudicādis, contēnēdisq; proximis, & Fratribus noſtris fugiamus.Opē feramus,obſecro, nobis ipſis mutuò,mutuoq; nos ipſos,ceu ꝓpria mēbra,iuuem⁹. Quis ſauciatā habēs manū, aut pedē,aut aliquod aliud mēbrū ſui corporis,& ſtatim illud abominatur,aut abſcidit, etiā ſi pus fœtidisſimū emiſerit?quin poti⁹ emūdat, abluit,medicamē apponit,circūligat,cōſolidat,ac fouet,bn̄dictionē,orationesq;,ac p̄ces adhibet:Sāctos etiā viros,qui Deū

pro

pro eo interpellent,obnixè precatur,& orat: Demum nihil omittit; nequè enim membrum ſuum auerſari poterit,etiam ſi grauiſsimè oleat; ſed(vt Sanctus Abbas Zoſimas aiebat) omnia verſat,omnia peragit, vt ſanitatem adipiſcatur. Nos verò debemus noſtris malis mutuò affici,mutuoq; cõpati,& condoleſcere inuicẽ; noſq; mutuò adiuuare,atquè omnia facere, quo mutuam nobis inuicem opem feramus: Sumus enim (vt ait Paulus) inuicem membra: Omnes vnum corpus ſumus; alij aliorum inuicem membra.Quòd ſi vnum mẽbrum quicquam patiatur, compatiuntur & reliqua omnia membra. Quid obſecro,videntur vobis eſſe Cœnobia?Nonnè vnum videntur eſſe corpus,& inuicem membra? Qui autem adminiſtrãt & gubernant,capitis loco habentur;qui verò ſpeculantur & corrigunt,oculorum vicem tenent; at qui ſermone proſunt,oris munere fungũtur; qui obediunt,aurium loco putantur; qui opera exercent,manibus comparantur;qui reddunt reſponſa,& huc atquè illuc ad miniſteria diriguntur,vicem exequuntur pedum.Caput igitur es? Guberna.Oculus es? attende,mentemq; adhibe,& conſidera.Os es?Quæ recta ſunt loquere & adiuua. Auris es?ſimpliciter obtempera.Manus es? Operare,& viriliter te exerce.Pes es? obſequere,& miniſterium tuum exple. Vnuſquiſque demùm veſtrũ communi corpori deſeruiat; & munus ſuum non ſegniter,ſed pro viribus ſuis,exequatur. Nauate itaque operam, Fratres,vt mutua vos Charitate vnum efficiamini corpus; atquè inuicem Chri-

ſtiana

ſtiana dilectione connectamini. Nam tantò quiſque ad Deum proximè accedit, quantò magis, in amore, & beneuolentia Chriſtiana, proximo ſuo adhæſerit. Et quò magis rem hanc, ac ſermonis huius noſtri vim expendatis, trutinetisq́;. exponã vobis exemplum, quod olim à patribus traditum accepimus. Effingite mihi circulum quendam in terra orbiculatum, ſeu ſignum quoddam, circunducto circino, ſphericum, cuius in meditullio ſit centrum: Animum aduertite, & conſiderate quod dico; Huiuſmodi circulum, exiſtimate mundum eſſe vniuerſum; centrum verò, quod huiuſce circuli medium tenet, eſſe Deũ: Radios verò, ſeu lineas, quæ a circũferentia ad centrum ipſum ducuntur, vias eſſe, ſeu conuerſationes hominum, & varia inſtituta, cenſete. Quò igitur magis viri ſancti ad interiora penetrant, vt ipſi Deo appropinquent, eò magis, iuxta tamen proportionem ingreſſus, & Deo quidem appropinquant, & ſibi ipſis mutuò: quantoq́ue magis Deo propinquiores fiunt, tantò & ſibi mutuò: rurſus quantò ſibi mutuò, tãtò fiunt propinquiores & Deo. Pari modo, & de receſſu putate: Cùm enim à Deo recedunt, ad exteriora quidem ſeipſos effundunt; & quantò longius à Deo recedunt, tantò nimirum, & à ſeipſis mutuò ſeparantur: rurſus quantò à ſeipſis mutuò elongantur magis, tantò magis & à Deo ipſo ſeparantur. Hæc eſt enim Charitatis conditio, & natura. Quantò enim magis ad hæc externa rapimur, & Deum ipſum non amamus, tantò profectò magis, & à proximi Charitate diſtamus. Si verò Deum

rò Deum amauerimus, & illi per mutuum amorem adhæſerimus,certè & proximis vniemur. Et quantò proximis per charitatem vicinius adhæſerimus,tantò proculdubio, & Deo viciniores erimus. Faxit Deus,vt quæ nobis vtilia ſunt, audiamus;faxit etiam,vt quæ audiuerimus, opere compleamus. Nam quantò diligentiores,ac ſtudioſiores fuerimus ad ea, quæ audiuimus, peragendum, tantò nimirum lumine maiore Deus illuſtrabit nos;& voluntatem ſuam docebit. Ipſi gloria in ſecula. Amen.

DE ACCVSATIONE, ET REPREHENSIONE SVI IPSIVS.

SERMO VII.

PErquiramus,obſecro, Fratres,Vnde id potiſſimum eueniat,vt verbum quis aliquando moleſtum, & anxietate plenum audiat, & abſque vlla prorſus afflictione, & moleſtia,quietus, & imperturbatus abſcedat;quaſi illud omnino nõ audierit:Nõnunquam verò ſtatim vt illud audierit,perturbetur,& confundatur? Quæ nam huius rei cauſa, & varietatis ratio eſt?Num vnam tantùm habet cauſam,an plures? Ego verò pluribus id fieri de cau-

ſis,& rationibus arbitror. Verùm vnã in primis intueor,quæ cæteras omnes cauſas,& rationes(vt quidam ait) progignit: Atquè id quomodo fiat, paucis expediam. Primùm quidem euenire nonnunquam illud ſolet,vt in oratione quiſpiam,ſeu contemplatione,& in bono ſtatu reperiatur; atq; ex eo fœlici, & quieto ſtatu facilè conuiciantem Fratrem, & calumniantem perferat idquè citra animi perturbationem;atquè immobilis perſtat. Rurſus autem accidere ſolet, vt aliquis inueniatur, qui magno quodam erga quempiam teneatur affectu: Vnde fit,vt quicquid ab eo damni,vel iniuriæ infertur, patientisſimè, ac citra omnem animi angorem perferatur. Eſt item & alius,qui cõtemptui habet eum,qui iniuria vult ipſum affi cere,vel moleſtia,tantiq́ue illum, & eius verba fa cit, vt dedignetur quidem eum, tanquam vilisſimum omnium intueri:nec vllam dictorum aut fa ctorum illius rationem penitus habeat. Dicamq; vobis quicquam eiuſmodi, quò magis, ac magis admiremini. Erat in noſtro Cœnobio,antequam inde digrederer, Frater quidàm,quem ego certè nunquam aut ira concitatum,aut anxietate quapiã affectũ erga quẽquã aſpexi; & q̃dẽ multos ex Fratribꝰaſpiciebã vario modo quodã iniurias illi innumeras inferẽtes,laceſſentesq;,ac mirũ in mo dũ infeſtantes:Illũ vero ita omniũ iniurias, & infeſtationes æquo animo,ac patiẽtisſimè tolerantẽ, quieteq; ſua & pace fruentẽ, ac ſi nullus eſſet prorſus,qui eũ turbare conaretur. Itaq́; immenſam eius viri patiẽtiã,ac tolerãtiã ego ſemper ad

mirabar;cupiebamq́; addiſcere,vnde virtutem illam adeò præclaram ſibi comparaſſet. Cùm autē mihi ſemel obuiàm veniſſet,data pace,ſuſceptaq́; venia,precor hominē,vt edicere mihi vellet,quid corde ſuo volueret, quiduè meditaretur; cùm vel illatas ſibi contumelias, & iniurias audiret, vel moleſtum quicquam, aut graue pateretur à quoquam; quandoquidem tantam præ ſe ferret animi quietem,& tranquillitatem. Ille verò ſimpliciter, & abſque vlla tergiuerſatione reſpondit mihi,dicens,Ego certè ita me ad huiuſmodi lutulentas iniurias habere conſueui,vt ſe habent homines ad blandos canes.Hoc cùm audiſſem,aures demiſi; mihi ipſi dixi, Inuenit Frater hic viam, qua rectè incedat;meq; ipſum obſignans,ac Crucis ſignaculo muniens abſceſsi, Deum precans, atquè obſecrans,vt me,& illum protegeret.Quare ex contemptu earum omnium, quæ nobis inferuntur,iniuriarum,euenire ſolet(quod modò dicebam) vt imperturbati, ac citra omnem animi angorem,perſiſtamus. Quod quidem euidens eſt mortificationis indicium:Nam turbari aliquem, & aduerſus Fratrem ſuum irritari, pro eo quòd affectus ſit iniuria,aut moleſtia,& contumelia laceſsitus,propterea ſolet interdum euenire, quia vel in diſpoſitione quadam non bona reperitur, vel quia malè affectus eſt erga eum, mœroreq́ue correptus.Sunt & aliæ complures huiuſce rei cauſæ,quæ quidem varijs modis ſunt dictæ.Illud verò potisſimum,vt turbemur,in cauſa eſt,quòd ſedulò noſmetipſos non accuſamus;nec,qua debemus

diligen-

diligentia, quęrimus nos ipſos priuatim arguere. Hinc omnis noſtra moleſtia, & afflictio promanat: hinc eſt, quòd quietem nũquã, & nullibi pacẽ animi nanciſcimur. Neque id quidem mirũ, quandòquidem ore Sanctorum omnium celebratum, ac conteſtatum habemus, nullam, præter hanc, ad Deum patere viam. Nec vnquàm aliquem vidimus, aut audiuimus, qui alia, quàm hac, ad Deum acceſſerit via, aut ad quietem peruenire valuerit. Et nos inſenſati requiem habituros vnquàm ſperamus; aut recta ad Deum via nos ituros credimus; cùm omnium ſimus impatientisſimi, nec vnquam noſipſos accuſemus, vel à quopiam redargui, æquo animo feramus? Atqui ſi innumeras poſſederit virtutes homo, præclarasq; actiones, & infinitas egerit, hac verò non inceſſerit via, nũquam profectò quieſcet; ſed ſemper vel affliget alios, vel affligetur ab alijs, laboresq; ſuos omnes penitus deperdet. Quale enim gaudium, vel lætitiam, quamùe animi quietem is habere poterit, qui eiuſmodi eſt, vt præclarè ait Abbas Paſtor? Qui ſeipſum verò redarguit, & ſedulò accuſat; ſi quicquam illi contigerit, aut damni, aut contumeliæ; vel ſi quælibet ingruerit afflictionis procella; ęquo animo ſuſcipit, hilariq; vultu omnia ſuffert, ſeq; his autumat non indignum; neque ob id vnquam turbatur omnino. Poteſt ne hoc viro quicquam excogitari tranquillius, aut quietius? Sed dicet fortaſſe quiſpiam, Quòd, ſi moleſtia me affecerit Frater aliquis, & facta diligentisſima quæſtione, nullam inuenio me illi penitus occaſionẽ

vel cauſam præſtitiſſe; cur me ille debeat affligere,aut afficere moleſtia; quonam igitur pacto vis meipſum accuſem, aut reprehendam?Sanè verò, ſi in timore Dei quiſpiam ſe,ſuiq; animi receſſus perſcrutari ſeriò,perfecteq; voluerit; prorſus occaſionem ſe præſtitiſſe aliquam comperiet, ſiue opere,ſiue verbo, aut ſchemate quopiã, vel quouis alio modo. Quòd ſi omnino cõpererit nullã, eo tempore,læſionis præſtitiſſe cauſam, fortaſsè aliàs vel eadem, vel quauis alia in re illum offendit,aut certè Fratrem alium offendit: Vnde meritò ob eam rem, vel ſæpenumerò ob alia, quæ forte commiſit,peccata, affligi, patiq; permittitur. Quare,ſi in timore Dei quis (vt modò dicebam) ſe,ſuiq; animi receſſus perſcrutari voluerit, conſcientiamq́; ſuam diligenter rimari; offendet, ſe profectò non omnino inculpabilem.Quòd ſi rurſus ſit aliquis,qui,cùm pacificè quieteq; ſederet; Fraterq; pertranſiens verbis illum infeſtis perſtrinxerit; turbetur,putetq; ſe od id iure in eum inuehi poſſe,à quo iam fuerit oppreſſus,ac læſus; quia nimirum,niſi irruiſſet ille, locutusq; fuiſſet, & obturbaſſet,non vtiq; peccaſſet;& hoc certè ridiculum eſt,& meræ nugæ, nullaq; poteſt ratione fulciri.Neq; enim is,qui in eum inſolens verbum coniecit,ſimul & iram coniecit,& morbum, affectumq; illum vitioſum; ſed oſtẽdit potius,quo nã morbo laboraret,vt reſipiſceret,ſi vellet, ac pœnitentiam ageret.Hic enim ſiligineo,atq; adeo puro,nitidoq; pani aſſimilis eſſe videtur;quẽ ſi quis frangeret,cœnum,quod intus latebat, patefaceret:

ret:

ret: Pari modo hic quietè pacificeq; (vt ſibi videbatur) ſedebat; intus tamen morbũ affectumq; vitioſum fouebat; nec illũ miſer agnoſcebat; vnum verbulũ protulit eius Frater, & cœnũ, quod intus latebat, apparuit. Si miſericordiam igitur is aſſequi velit, reſipiſcat; munditiæ, puritatiq; ſtudeat, ac proficere connitetur; & agnoſcet profectò, gratias ſe potius dilecto illi Fratri referre debuiſſe, quàm iniuriã; quippè qui tantæ fuerit ſibi vtilitatis occaſio. Etenim, ſi ſic aget, nõ erũt illi poſtmodùm tentationes graues, nec moleſtæ; ſed quò puritati magis ſtuduerit, & in via Dei profecerit, eò leuiores, facilioresq; illę videbũtur. Quãtò enim magis anima profecerit, tãtò fortior, ac robuſtior efficitur, & ad quæuis moleſta ferenda validior. Quemadmodũ enim, ſi fuerit iumentum aliquod validum, quod magnũ onus impoſitũ commodè, quieteq́; gerat; ſi fortè fortuna contigerit, vt pedibus offendat, labaturuè; ita confeſtim excitatur, vt vix offendiſſe, aut impegiſſe ſentiatur: Quòd, ſi iumẽtũ fuerit ĩualidũ, ac debile; quo vis onere, vel leuiſſimo grauatũ, ſuccũbit; & ſi ceciderit, nõ mediocri op⁹ eſt auxilio, vt ſubleuetũ, exciteturuè. Ita eſt & aĩa, quæ quò plura ac grauiora crimina patrarit, eò fit impotẽtior, atq; inde miſerior: Nam peccatũ & miſerũ reddit eũ, qui illud cõmittit, & debilẽ, atq; inualidũ, nè dicã, putridũ. Vnde, ſi ꝗppiã illi fortè moleſti cõtigerit; ſupra modũ opprimit illũ, & deijcit. At verò, ſi in via Dei, relicto peccato, nõ modò ſurrexerit, ſed ꝓficere etiã conatus fuerit homo; q́cũq; illi pri⁹ grauia, atq; oneroſa vi-

debantur,leuia poſtmòdum fiunt admòdum,& io cunda;nec modò non lędunt,ſed cōferunt potius, & oblectant.Quare multum confert,apprimeque nos adiuuat, & perquàm quietos reddit, necnon ad vitæ profectum adducit,ſi nos ipſos, non alios, in omnibus, quæ contingere ſolent, accuſauerimus, authoresq; malorum omnium dixerimus; præſertim cùm nihil,abſquè nutu, & prouidentia diuina,euenire nobis poſſe certò ſciamus. Quonam igitur pacto (dicet fortaſsè quiſpiam) fieri poteſt,vt non affligar, moleſteq; feram, cùm aliqua re indigeam, nec vnde mihi illam aſſumam, habeo? Ecce res illa mihi admòdū eſt neceſſaria. Neq; hic quidem aliquid habet, quo meritò poſſit quenquam accuſare,vel ſeipſum aduerſus aliū irritare: Cæterùm,ſi re uera indiget aliqua re(vt aſſerit) nec eam habere poterit; ita ſecum dicere deberet,Nouit Chriſtus melius, quàm ego, quid mihi ſit opus, cuiusùe rei ſim indigus, & ipſe fiet mihi huius rei,vel huius cibi loco: Nā filij Iſrael quadraginta annos in heremo manna manducauerūt: Et erat quidem manna illud vnius ſpeciei; cæterum vnicuique id fiebat,ſapiebatq;, quod ipſemet appetebat: nam ei,qui acredinem vel ſalſedinem appetebat,acre fiebat manna illud, & ſalſum;qui verò dulcedinem,dulce; denique cuiusq; guſtui,& palato conueniens.Pari modo,ſi quiſpiā ouum appetat,& olus accipiat,dicat cogitationibus ſuis,ſi vtile mihi ouum omnino fuiſſet,haberem vtiq; illud; nam bonitas Dei mihi prouidiſſet,miſiſſetq; prorſus: verùm potens eſt, & olera

in

in ouum conuertere;credatque Deo, & cedet illi hoc in martyrium. Etenim dubio procul,ſi quiete dignus eſt quiſquàm, vel Saraceni alicuius cor di immittit, perſuadetq; Deus,vt miſericordiam illi faciat,prout illi opus fuerit: Si verò indignus eſt,vt quieſcat, vel omnino illi non expedit, nec confert; cœlum nouũm,ac terram nouam licet fe cerit;nunquam tamen requiem aſſequetur. Demum aliquando quis longè plus quod opus habet aſſequitur; aliquando verò longè minus, quã illi opus eſſe videtur.Cùm autem Deus benignus ſit,& miſericors,vnicuiq; quod ſatis eſt,& neceſſa rium impertitur: Interdũ verò ſupra quàm opus habet,alicui diuina quadam diſpenſatione largitur,vt benignitatis ſuæ, & humanitatis exceſſum palàm oſtendat, atq; illum ad agẽdas gratias inuitet. Quãdo autem quod neceſſarium eſſe videtur,negat,facit,vt ea ratione cognoſcat,re illa nõ indigere;docetq; illum, vt patienter quicquid ingruerit,perferat. Quare mentem noſtram ad om nia debemus adhibere:Et ſi quidem benè,vel malè quid patimur, mẽtem noſtram rurſum ad Deũ pariter eleuemus; gratiarumq; illi plurimum in omnibus,quæ nobis occurrerint, quoad fieri poteſt,referamus; ſemper in nos accuſationem omnem,& omnem reprehenſionem ferẽtes; & quod patres noſtri ſolebant, in ore ſemper habeamus. Dicebant enim illi, ſi quicquam nobis boni quan doq; contigerit,diſpẽſatione id fieri diuina;ſi verò mali quid euenerit, ob noſtra peccata id eſſe, aiebant. Verè enim quicquid mali patimur, ob

delicta noſtra id patimur. Etenim ſancti q̧cquid aduerſi patiuntur, vel ob diuini nominis gloriã, patiuntur;vel ad oſtendendã animi virtutẽ,vt cæteris præſtent imitationis exemplũ. De nobis verò miſeris & infelicibus, quomodo id aſſerere va lemus;qui ſic quottidie impunè peccantes,& paſſiones noſtras, ſeu vitioſos affectus defendentes, vlciſcentesq́;,rectã patrum noſtrorũ viam,quæ in vera ſui ipſius accuſatione,& reprehenſione cõſiſtit, reliquimus penitus;& tortuoſam, atq; adeo peruerſam viã ſequimur; proximos nimirum,ac Fratres noſtros ſemper accuſantes? Quiſq́; enim noſtrum quacunq; in re,omnẽ erroris ſui cauſam in Fratrẽ conijcere apprimè ſtudet;atq; illi onus imponere,non veretur:Et,cũ deſides, ſecordesq; ſimus,atq; ſupini,nihilq; accuratè agamus,aut ca ueamus;mandata & pręcepta à Fratribus,ac proximis noſtris exigimus. Conuenere ad me dudũ duo Fratres, anxietate quadam mutua oppreſſi, & grauiter affecti;dicebatq; maior natu, de mino re,Cùm iniungo huic aliquid,turbatur ille, & affligitur;nec minus turbor & ego, atq; iratus affli gor:Quoniam,ſi fidem erga me haberet,aut diligeret, ſuſciperet vtiq; à me omnia incunctanter, nihil addubitans. Reſpondebat iunior, Da mihi veniam quæſo Pater, fortaſſe non in timore Dei hic mihi loquitur; ſed veluti cupiens imperare, præcipit: Propterea arbitror, cor meum illi non obſequitur, nec cùm fiducia mandata eius amplectitur,vt Patres noſtri volũt. Animaduertite quęſo, vt duo illi Fratres mutuò ſeſe accuſabant; &
neuter

neuter eorũ in ſe cauſam, & accuſationem vertebat. Sed duo alij mutuò ſeſe affligentes, ac turbantes, nec non pœnitentiam alter alteri dantes, ſeu potius veniam poſcentes; imperſuaſi tamen, & de fraterna fide ac charitate dubij, ancipitesq; permanebant: Nam alter dicebat, quoniã nõ ex toto corde pœnitentiam egit, nec ſeriò veniã à me petijt; propterea ego illi nec fido, nec certã de eius in me charitate perſuaſionẽ habeo: alter verò dicebat, Quoniam non erat mecũ charitate coniunctus, antequã veniam ab eo peterẽ; propterea illi non credo, nec confido. Vides nè ludibriũ, contentionẽq; ridiculam? Intueris ſtropham, cogitationumq;, ſeu diſputationum verſutiã? Ego verò obſtupeſco (teſtor Deum) & attonitus fio, cùm videã nos maiorũ noſtrorum ſententias, & bonos mores ad prauas noſtras voluntates, & peruerſas cogitationes, nec non ad interitum animarum noſtrarũ inuertiſſe. Debebat enim vterq; illorũ accuſationem in ſeipſum inflectere, & reum ſe peragere; & alter quidem dicere, Quia non ex corde reſipui, nec pacem veram, & verum amorẽ erga Fratrem exhibui; propterea Deus permiſit, vt in me fiduciam ille non haberet: Alter verò dicere debuerat, Certè ego potius nõ erã cum Frater meo vera charitate deuinctus, nec ad remiſſionẽ fraternam, antequam ille reſipiſceret, pronus, ac facilis. Similiter & duos illos facere oportebat; nã primus dicere debebat, Ego quidẽ cũ authoritate & imperio loqui ſoleo; propterea pmittit Deus, vt non mihi credat Frater, nec verbis meis fidat;

Alter

Alter verò cogitare, & intra ſe dicere debuerat; Certè Frater meus cum charitate & manſuetudine humiliter imperat,& præcipit mihi; ſed inobediēs ſum ego,nec Dei timorem posſideo.Sed neuter eorum recta progreſſus eſt via, vt ſeipſum reprehenderet,& accuſaret;ſed alter in alterum culpam intorquebat.Hinc eſt,cur in via Dei nō proficimus,non progredimur, nullamq́; vtilitatem, aut emolumentum acquirimus; ſed toto vitæ noſtræ tempore,ſic manemus;cōputreſcentes in mutuis cogitationibus,ſeu diſceptationibus noſtris; inuicem nos opprimentes,laceſſentesq́;: Quādoquidem vnuſquisq́; noſtrū ſeipſum iuſtum, & inculpabilem reputat:Quisq; ſine ſuijpſius cura,ſiue cuſtodia,& diſciplina (vt modò dicebam)ſeipſum ire permittit;& à proximis noſtris præcepta & diſciplinam exigimus.Iccirco nunquam in his, quæ bona & ſancta ſunt,aſſueſcimus; nūquam ad veram virtutem erudimur. Quia,ſi modicū quid diuini luminis deguſtamus; ſi mens noſtra parūper accenditur; ſtatim idem quoq́; à noſtro proximo exigimus;illum ipſum accuſatens, ac dicētes, ſic agere eum debuiſſe:quare hoc modo nō fecit? At quare magis à nobis ipſis præcepta, & diſciplinam non exigimus? Cur nō potius nobis ipſis imperamus? Cur nos ipſos non accuſamus, & tanquam deſides ac ſupinos reprehendimus,& inculpamus? Vbi eſt ſenex ille,qui, cùm interrogaretur,quid potisſimum, & præclarum magis in hac profesſione monaſtica inueniſſet? reſpondit, Vt ſeipſum homo in omnibus ſemper accuſet. Quæ

quidem ſentẽtia mirum in modum ab eo, qui interrogauerat, laudata eſt, & ſupra quàm dici poteſt, probata. Similiter & Abbas Paſtor dicebat, Virtutes omnes ad domũ vnius virtutis pariter commigraſſe, extra quàm fruſtra hominem laborare: Interrogatus, Quænam eſſet illa virtus? Vt homo, inquit, ſeipſum accuſet iugiter, ac feriò. Dicebat etiam & B. Antonius, Hanc maximam, inter operationes humanas, eſſe virtutem, nempè, vt errorem & delictum noſtrum, coram Deo, & hominibus, nobis ipſis aſcribamus; & vt ad tentationes, vbicunq; fuerimus, vſq; ad extremum halitum, noſi[illegible]s accingamus. Quandoquidem maiores, ac Pat[illegible]es noſtri, cùm ſtudioſiſſimè virtutẽ hãc præclaram ſeruaſſent, & ad Deum omnia, etiam minima, ac vilia retuliſſent, in pace & quiete bona perſtiterunt, vitamq; cœlo dignam peregerũt. Qualis quidem fuit ſanctus ille ſenex, qui, cùm ægritudine langueret, & Frater quidam miniſter oleum lini, quod lethiferum eſt, pro melle in eius pulmentum incautus infudiſſet, nihil omnino dixit; ſed tacẽs vnam, & alteram patinam comedit, ſatiſq; corporeę neceſſitati fecit; ac nè corde quidem verbum aliquod obiurgationis in Fratrem protulit, vt intra ſe diceret, Hic me contempſit; nec penitus illum ſermone aliquo moleſto perſtrinxit: Cùm verò Frater ille didiciſſet, quid fecerit, cœpit affligi, ac contriſtari, dicens, Occidi te Pater; & tu peccatum hoc in me tranſtuliſti ſilẽs: Verùm audi, qua manſuetudine, & animi lenitate reſpondit illi Senex, Noli te affligere, ac crucia

re,

re, Fili; ſi enim voluiſſet Deus, vt mel ederẽ, mel vtiq; poſuiſſes. Vides vt rem omnẽ ſtatim ad Deũ retulit? Quid hoc ad Deũ, ò Calogere? Frater errore ductus hoc egit, & tu dicis, ſi voluiſſet Deus; Quid ad rem? Vtiq; ſi voluiſſet Deus, vt mel ederet, mel infudiſſet Frater. Et cùm in tã graui morbo, tamq; diuturno, nihil penitus deguſtare ſenex potuiſſet; nequaquam tamen erga Fratrem illum turbatus eſt; ſed rem omnem ad Deum retulit, & quieuit. Et rectè quidem ſenex loquutus eſt: ſciebat enim, quòd, ſi voluiſſet Deus, vt ipſe mel ederet, fœtidum illud, atque lethiferum oleum perfacilè in mel conuertiſſet. Nos autem in vnaquaq; re aduerſus Fratrem, & proximum noſtrum inuehimur, accuſantes illum & increpãtes, vt qui nos contemnat, & facere contra conſcientiam non vereatur. Quòd ſi verbulum aliquod audiuerimus, ſtatim illud peruertimus, dicentes, Niſi carpere me voluiſſet, nõ vtique illud protuliſſet. Vbi quęſo eſt Sanctus ille, qui de Semeo dixit, Sinite illũ in me inuehi, ac maledicere, quoniam Dominus illi dixit, vt Dauidem blaſphemaret? Viro perdito & homicidæ locutus eſt Deus, vt Prophetã execraretur. Quomodo igitur Deus illi dixit? Sed Propheta cognoſcens & intelligens, nihil ita oſtẽdere miſericordiam Dei erga nos, vt tẽtationes, præſertim in tempore afflictionis, & ſeditionis, aiebat, Sinite eum maledicere, ac blaſphemare Dauidem: quia Dominus illi dixit. Quare? vt Dominus, inquit, videat humilitatem & afflictionẽ meam, & vertat in me bonum pro hac maledictione.

ne.

ne. En vides, vt prudens ac ſciens, hæc Propheta dicebat: Vnde indignabatur his, qui maledicum vlciſci & interficere volebant, dicens, Quid mihi & vobis filij Seruiæ? Sinite maledicere, quoniam Dominus dixit illi. Nos verò nequaquam, cùm verbũ aliquod in nos prolatum à quoquam audimus, cõſiderare, ac credere volumus, Deum illi ſuggeſiſſe, vt ſic loqueretur, ſed neſcio quid caninum patimur. Etenim canes, ſi quis in eos lapidem iecerit dimiſſo eo, qui iecit, lapidem inſequuntur, & mordent. Sic itaquè & nos agere ſolemus: Omittimus Deum, qui tribulationes & tentationes nobis ad peccatorum noſtrorum purgationem inferri permittit: & in lapidem, hoc eſt, in proximum inuehimur: illũq; mordemus, & dicimus, Cur mihi hoc ille dixit? Cur ita loquutus eſt? Cur ita mihi fecit? Et, cùm ex his mirum in modum proficere, ac lucrari poſſemus: nos contrà ſocordia noſtra iacturam facimus, ac demeremur nobiſque paramus inſidias, ignorantes, diuina prouidentia, fieri hæc omnia ad vtilitatem, & ſalutem vniuſcuiuſque. Benignitas Dei precibus Sanctorum erudiat nos, & intelligere, quæ dicimus, faciat. Amen.

DE

DE IRA,
ET IN IVRIARVM MEMORIA
non habenda.

SERMO VIII.

DIcebat Euagrius, Abſurdum eſſe, & à decoro valde alienum, Monachos iraſci; aut, quenquam moleſtia iniuriaue afficere: Itẽ ſi perturbationem animi quis ſuperarit, aut iram, is & dæmones proculdubio ſuperauit: Si quis verò ab hac animi paſſione, & ira ſuperatus fuerit, is profectò ab omni Monaſticæ vitæ profesſione, & inſtitutione penitus eſt alienus. Quid igitur de nobis ipſis dicere debemus; qui non modò ad animi cõcitationem, & ad iram vſq; prorumpimus, verùm etiã ad iniuriarum memoriam retinendam quandoq; peruenimus? Quid aliud dicere debemus, quàm miſerrimum animæ noſtræ ſtatum lugendum eſſe? Annitamur igitur, Fratres, & inuigilemus, opemq́ue nobis ipſis mutuò feramus, vt ab hac peſtiferæ pasſionis amaritudine, adiuuãte Deo, liberemur. Interdum enim quis reſipiſcit, & reconciliatur Fratri ſuo, ex aliqua perturbatione (vt fieri ſolet) inter eos proueniente; & tamẽ perſeuerat triſtis,

&

& mœſtus;varijſq́; cõtra eum cogitationibus exa gitatur. Huiuſmodi quidem cogitationes nemo noſtrum contemnere,ſed aſtutum amputare quã diligentisſimè debet. Eſt enim hoc euidens iniuriarum reminiſcentia;quæ multa opus habet vigi lantia,multoq́; ſtudio & labore. Plurima etiã adhibenda eſt ſobrietas,& pœnitentia, ſeu reſipiſcẽ tia, nè diutius in his immoremur, nè periclitemur,& pereamus.Qui enim reſipuit,& reconcilia tus eſt Fratri ſuo,ex prçcepto reſipuit:Et irã quidem ad præſens ſedauit;aduerſus ſtudium autem vindictæ,& contra memoriam iniuriarum nondũ pugnauit,nec viriliter reluctatus eſt;ob eãq́; cauſam mœſtus & triſtis, maleq́ue affectus aduerſus Fratrem ſuum perſeuerat. Aliud nanq́; eſt μνησικακία, ideſt, memoria iniuriarum: Aliud autem ὀργή,ideſt,ira: Aliud θυμός,ideſt, furor,ſiue impetus animi: Aliud ταραχή, ideſt,perturbatio.Et ſubijciam vobis exemplũ, quo rẽ facilius intelligatis: Ignem qui accendit, primùm quidem exiguã habet prunam,ſeu carbunculum.Id ſanè,verbum ſignificat,quod Fratrem cõtriſtat,& affligit:Rurſus enim ecce paruula eſt pruna.Quid enim,obſecro,eſt verbum Fratris tui?Si ęquo animo tuleris illud,extinxiſti prunam illam ignitã;quòd ſi perſtiteris cogitando,& mente voluendo,cur illud,& illud mihi dixit?Cur ita loquutus eſt? habeo certè,quod illi inuicem dicam; nam ſi noluiſſet me affligere,ac lædere,nequaquam ita loquutus fuiſſet;ſed nè dubitet,habeo,(vt ſpero)quo illum inuicem affligam, & lædam. En ligna, & fomenta

adiecisti,ceu qui ignem accendit, & fumum feciſti. Quod quidē eſt ταραχή, ideſt,perturbatio. Perturbatio autem, eſt motus, ſeu conflictatio, pugnàue cogitationū; q́ cor noſtrū excitāt,& audax animoſumq́ue reddūt illud. Audacia verò eſt excitatio quædam vindictæ, ſeu talionis, reddendæ aduerſus eum,qui nos læſit; quæ quidem (vt Abbas Marcus aſſerere ſolebat) temeritas fit: Quoniam malitia in animo quidem verſata, cor excitat,& nimis audere illud facit;ſublata verò,& extincta crebris orationibus & ſpe, cōteritur illud, & humiliatur. Quòd ſi æquo animo verbulum illud tui Fratris(vt paulo antè dicebā) pertuliſſes; quàm facillimè prunulam illam potuiſſes extinguere,antequam animus tuus perturbaretur. Cæterum nihilo ſecius,modò velis,quamprimum illam facilè extingues per ſilentium, per preces & orationes, per vnicam cordis pœnitudinem, ſeu reſipiſcentiam. Sin pergas ignem accendere,& fumum excitare,cor tuum,ſcilicet,varijs cogitationibus irritando,& in audaciam temet his verbis hortando. Cur illud & illud mihi dixit? habeo & ego quod illi dicam; ex hac veluti retaliatione,& cōflictu,ſeu tumultu cogitationum,cùm exagitatur & accenditur cor, ſuboritur veluti quædam flamma & furoris accēſio. Eſt enim θυμός, ideſt, furor,ſanguinis circa cor feruor accenſus, vt ait D. Baſilius. En factus iam eſt in te θυμὸς,ideſt,furor: Hæc quidem eſt,quam dicunt ὀξυχολία, ideſt, repētina ira,ſeu bilis acuta; Hanc quoq́; ſi velis extinguere,potes, antequam fiat ὀργή, ideſt,ira perfe-

cta.

ſta. Si verò turbatus turbare perſtiteris, idem facies, vt qui ligna congerit in focum, & magis, ac magis excitat ignis incendium; atquè ita demum complures fient carbones: Quæ quidem abſoluta eſt ira. Et hoc eſt, quod Abbas Zoſimas aſſerere ſolebat, Interrogatus, quid ſibi vult dictum illud, Vbi non eſt contentioſus & disſidens, ibi ceſſat & quieſcit pugna. Nam ſi quis in principio turbationis & disſidij, quando cœperit fumus erumpere, & ſcintillare ignis, ſeipſum increpauerit, correxerit, & accuſauerit, pœnitentiamque egerit, priuſquam accendatur, & fiat θυμὸς, ideſt, furor, pace fruetur, & quieſcet: Rurſus autem, vbi eruperit, & exortus fuerit θυμὸς, ideſt, furor; ſi non illico conquieuerit, ſed turbatus animoſus, & audax perſtiterit; inuenietur (vt diximus) perſimilis illi, qui ligna & fomenta congerit in ignem, quē accendere nunquam deſinit, donec magnum incendium, & prunas magnas efficiat. Quemadmodum igitur huiuſmodi prunæ carbones efficiuntur extincti, & reponuntur, ac complures annos perſtant incorrupti, & nè quidem in aquam coniecti computreſcunt; ita profectò & ira, ſi diu perſtiterit, & inueterata pmanſerit, efficitur μνησικακία, ideſt, iniuriarū memoria: Et niſi poſtea totū ſanguinē eius exhauſeris, atq; emunxeris, liberari ab ea neutiquā poteris. En dixi iā vobis harū omniū affectionū, ac pasſionū differētiā. Vos cōſiderate. Audiſtis em̄, qd ſit prima turbatio ταραχή; qd ſit furor, ſiue īpetus animi; θυμὸς; quid, ſit ira, ὀργή; quid reminiſcentia īniuriarū, μνησικακία, Cō-

ſiderare quæſo, ut ab unico verbo tam ingens malum, & vehemens incendium eruperit. Etenim, ſi ſtatim ab initio accuſationem omnem, & omnem culpam inteipſum conuertiſſes, & verbulum illud Fratris tui æquo animo pertuliſſes; nec vlciſci te voluiſſes, nec pro vnico verbulo duo, aut etiam quinquè rependiſſes, nec malum pro malo retuliſſes; haberes profectò, vnde mala hæc omnia à te propellere, quàm faciliimè poſſes. Quocirca vos, Fratres, admonitos velim, vt paſſiones, vitia, & motus animorum veſtrorum; dum recentia & nouella ſunt, antequam erumpant, & exerantur; vel ſaltem priuſquam obfirmentur, & ſolida fiant, & ad miſeriam, vel interitum vos adducant; conuellere, & radicitus extirpare nitamini. Aliter enim euellitur plantula; aliter arbor, cùm ad iuſtā magnitudinem venerit, extirpatur. Non peregrina vobiſcum, aut incognita vtar voce: Nequè certè ſcimus, nec animaduertimus, quid pſallamus. Quotidie enim pſallimus, & noſmetipſos cōfundimus, atquè execramur: nequè tamen aduertimus, aut intelligimus. An fortaſſe non intelligere debemus, quòd pſallimus? Quotidie pſallimus, Si reddidi retribuentibus mihi, mala, decidā meritò ab inimicis meis inanis. Quid eſt, decidā? Donec ſtat quiſpiam, vim habet reſiſtendi aduerſario, & potens eſt cum eo luctari. Cædit, cæditur; Vincit, vincitur: Adhuc autem ſtat. Quod ſi labi & cadere contingat; quomòdo proſtratus in terram, inire cum aduerſario pugnam, & colluctari poterit? Et contra noſipſos oramus; precamurq́;

non

non ſolū, vt cadamus ab inimicis noſtris, ſed etiā vt cadamus inanes. Quid autem eſt cadere quenquam ab inimicis ſuis inanem? Diximus iam cadere nihil aliud eſſe, quàm nullam amplius habere vim reſiſtēdi, cùm ſit proſtratus in terram. Inanis verò eſt, qui nè quicquā in ſe boni habet, quo tandem valeat erigere ſe, & aſſurgere. Nam qui erigitur, & ſtat, denuò reficere ſeſe poteſt, & curare, & tunc rurſus ad congreſſum & certamen venire. Deinde dicimus, Perſequatur igitur inimicus animam meam, & comprehēdat. Non ſolùm perſequatur, ſed etiam comprehēdat, inquit, Vt ſubditi ſimus illi, & mancipia, vt victi prorſus illi cedamus in omnibus: Vt in quacunque re demoliatur nos penitus, & deijciat, ſi reddidimus retribuentibus nobis mala. Nec tantum hoc nobis imprecamur, verùm etiam, vt conculcet in terram vitam noſtrā. Quid eſt, vita noſtra? Vita noſtra, ſunt virtutes, quibus anima rectè viuit; & precamur, vt conculcetur, & deijciatur in terram vita noſtra; nempè, vt toti efficiamur terreni; vt omnis noſtra prudentia, ſapientia, & intellectualis cognitio ad hæc inferiora, & terrena deprimatur. Et gloriam, inquit, meam in puluerē deducat. Quid eſt autem gloria noſtra, niſi animæ noſtræ cognitio, facta ex obſeruatione præceptorum Dei? Hoc igitur dicimus, vt gloriam noſtrā (ceu dicit Apoſtolus) in confuſionem redigat, & in puluerem eā deducat: Vt vitam noſtram, & gloriam noſtram, terrenam efficiat: Vt ſecūdum Deum nihil ſapiamus, nihil cogitemus: Sed omnia corporalia, om-

nia materialia;demum omnia noſtra, ſint terrena: Quemadmodum erant illi, de quibus dicebat Deus, Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis,quia caro ſunt. En igitur, vt iſthęc omnia nobis ipſis imprecamur; (cùm pſallimus) ſi malum pro malo rependimus :Et quàm multa, obſecro,mala, & innumera reddimus pro malis: & nulla tamen eſt nobis cura, ſed promiſcuè agimus omnia,nihilq; diſcernimus.Eſt profectò malum, pro malo reddere, non ſolùm opere, ſed etiam verbo,& ſermone, ac ſigno quopiam & indicio;& ſæpenumero quidem videtur aliquis non reddere malum pro malo, opere. Sermone tamen,aut quouis alio ſigno (vt dixi) reddere comprehenditur: Nam interdum quis ſignum aliquod edit, aut corporis motu, aut oculorum intuitu, & Fratrem offendit, conturbatque. Poteſt enim quis,aut oculorum intuitu, aut corporis motu Fratrem ſuum lædere, & affligere. Atqui iſthuc eſt aliquando malum pro malo reddere. Alius fortaſſe ſtudet,nè verbo, vel opere, ſignòue,aut motu, vel intuitu malum reddat pro malo; retinet tamen,ac fouet, neſcio quem mœrorem, & triſtitiam in corde ſuo aduerſus Fratrem, & affligitur: Alius verò nequaquam mœrorem aliquem habet aduerſus Fratrem ſuum; ſi tamen audierit illum à quouis læſum, aut iniuria maledictisuè, & conuitijs affectum, ſummopere lætatur,& gaudet: Atquè hic quoquè cognoſcitur, malum pro malo rependere in corde ſuo. Alius nequè malignitatem aliquam & odium tenet

net in pectore;nequè gaudet,cùm illum, qui eum læſerat,affectum iniurijs audierit; quin etiam affligitur & dolet, cùm afflictum illum & dolentem videt;non tamen libenter & æquo animo audit illum proſperè & fœliciter agere;ſed admodum affligitur & triſtatur,cum gloria, illum, honore,& quiete potiri videt. Et eſt quidẽ hæc ſpecies quædam μνησικακίας, ideſt,memoriæ iniuriarum,& inimicitiarum præteritarum; leuior tamen cæteris. Deſiderat item alius quietem & pacem Fratris ſui;nihil illius gratia facere recuſat, quod ad obſequium,commodum,& honorem, & quietem illius ſpectare cognoſcit. Diximus autem in principio huiuſce noſtrę orationis,eſſe aliquem,qui reſipiſcat,& Fratri ſuo reconcilietur, & poſt reconciliationem retineat adhuc quandam triſtitiam & mœrorem aduerſus illum;hunc diximus, iram quidem ſedaſſe, ſed aduerſus memoriam iniuriarum præteritarum nondum pugnaſſe. Alius verò, ſi contigerit affligi eum,aut lædi ab aliquo; facilè quidem reconciliatur, & pacem init cum Fratre ſuo; nec vllam iniuriarũ habet in corde ſuo memoriam: Cæterum,ſi poſt dies aliquot euenerit, vt ab eodẽ quicquã minus gratum illi dicatur;ſtatim incipit præteritarũ iniuriarũ reminiſci; necnõ turbatur,nõ modò ꝓpter iniurias præteritas, ſed etiã ob præſentẽ,& modò illatã. Hic perſimilis eſſet vide homini ſauciato, & aliquod malagma,ſeu medicamẽ vulneri apponẽti:Tãdẽ verò curato vulnere,& ſuperobducta cicatrice, locus tamẽ vulneris adhuc debilis remanet,& imbecillis;

Quòd ſi fortè contigerit, vt lapidem quis in eundem locum iaciat; locus ille perfacilè læditur, ac præ toto corpore dolet, & ſanguinem fluere ſtatim incipit. Eadem & hic paſſus eſt: Accepit vulnus, emplaſtrum appoſuit, quæ pax eſt, & reconciliatio; demum curatum eſt vulnus, ſuperinductaque cicatrix, quod ſedatam iram ſignificat: Cœpit autem & *μνησικακίαν*, ideſt, memoriam iniuriarum velle curare, & ſanare, vt nullam, ſcilicet, iniuriarum memoriam teneret in corde: Et hoc quidem eſt, cicatricem vulneri obducere; nondum tamen perfectè aboleuit, & expunxit; ſed reliquiæ quædam adhuc *μνησικακίας*, ideſt, memoriæ iniuriarũ, & vltionis remanent. Quæ cicatrix eſt: Ex qua facilè totum vulnus recrudeſcit; cùm licet per exiguam acceperit plagam. Oportebat igitur anniti, & totis viribus contendere, vt cicatricem omnem penitus expungeret, & deleret; ita vt in eodẽ loco pili innaſcerentur, & nulla deformitas relinqueretur, nullumq́; omnino vulnus ibidem fuiſſe dignoſceretur. Quonam autem pacto rectè id fieri poteſt? Si toto corde pro eo, qui te læſerit, oraueris, dicens, Adiuua Deus Fratrem, & proximũ meum, & mihi quoque opitulare propter illius preces: & ſic pro Fratre ſuo preces effundens, charitatis, condolentiæ, ac miſericordiæ & humilitatis ingens præ ſe fert argumentum. Humilitatis quidem eſt argumentum, dum fraternis precibus adiuuari ſe poſtulat; Vbi autem miſericordia, ſeu condolentia adeſt; Vbi charitas & cordis demiſſio, ſeu humilitas ineſt, quid moliri, quid efficere,

cere,obſecro, poterit θυμός, καὶ μνησικακία, ideſt,furor,& præteritarum iniuriarum reminiſcentia,& quęuis alia paſsio?Quemadmodum probè aiebat Zoſimas Abbas, ſi vniuerſa præſtigia, machinas, & artes ſuas moueret, ac ſtrueret diabolus, vna cum omni ſuo illo dæmonũ cuneo, ac comitatu, caſſæ erunt,& nullę omnes eius inſidię,artes & conatus: Conculcantur enim,ac conteruntur præcepto Chriſti. Dicebat etiam quidã alius ex patribus, Qui pro inimicis ſuis orat, ac Deum precatur,fieri non poteſt,vt iniuriarum ſit memor,aut vltionis amator.Operamini igitur,Fratres,& ſedulò mente reuoluite,quæ auribus auditis. Reuera enim hæc ita ſeſe habẽt,vt,niſi opere compleãtur,ſermone minimè percipiãtur. Quis enim eſt homo, qui artem aliquam ſolo ſermone tantùm velit addiſcere,non opere comprobare? Primùm quidem ſtrenuè perſeuerat faciens. Rurſus facit & delet. Atquè hunc in modum pedetẽtim faciendo perſeuerans,artem illam aſſequitur, & perdiſcit,Deo reſpiciente ſtudium,laborem,ac propoſitum illius,atquè adiuuante.Nos verò artem omnium artium reginam & dominam,nempè,benè, ac religiosè viuendi, arbitramur ſolo ſermone apprehendi poſſe,abſquè ſtudioſo labore, & opere? Et quonam pacto id fieri poteſt? Nullo certè modo. Attendamus igitur,Fratres,nobis ipſis, & ſtudiosè ſtrenueque operemur,dum ſupereſt tempus. Dominus det nobis & reminiſci,& ſeruare, atq; opere adimplere,quæ audiuimus; nè fiãt nobis in accuſationẽ,& condẽnationẽ iudicij. Amẽ.

DE MENDACIO.

SERMO IX.

VOlo, Fratres, pauca quædam vobiſcum de Mendacio diſſerere, voſque commonefacere. Video, vos non admodum ſtudioſos ad cohibendam veſtram linguam. Hinc perfacilè ad mala multa trahimur. Videte Fratres, & animaduertite ad ea, quæ perſæpe dicere ſoleo vobis, nempè, Conſuetudine fieri bonum, & malum. Multa igitur opus eſt diligentia, multaq́; ſobrietate, & vigilantia, nè Mendacio noſipſos muniamus, ac vallemus: Nullus enim mendax adhærere Deo vnquam, vel vniri poteſt. Alienum quippè à Deo penitus eſt Mendacium. Scriptũ eſt enim, A malo, ſeu à maligno eſt Mendacium, & iterum de diabolo loquens, dicit, Cùm loquitur Mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt & pater eius, ſcilicet, Mendacij. Ecce Mendacij patrem diabolum appellat. Veritas autem eſt Deus. Ipſe enim ait, Ego ſum via, veritas, & vita. Animaduertite quæſo, vnde digredimur, & cui adhæremus propter Mendaciũ nempè, ab ipſo Deo noſmetipſos ſecernimus, & maligno, hoc eſt, diabolo adglutinamur. Itaquè, ſi reuera ſalutem aſſequi volumus; totis viribus, omniq́ue ſtudio, & conatu veritatem ipſam amemus, ampleɛ̃amurque; & à Mendacio noſipſos

ſecer-

ſecernamus; caueamuſque, nè nos ſeparet Mendacium & à veritate,& à vita. Sunt autem Mendacij differentiæ tres, Quidam animo mentiuntur; quidam verbo; alij, vita ipſa ſua, ſunt mendaces. Ille animo & cogitatione mentitur, qui quaſcunque ſuſpiciones facilè admittit: Is enim, cùm aliquos Fratres interſe mutuò colloquentes cernit; ſuſpicatur illicò, & dicit, De me illi loquuntur: Quòd ſi ſermonem & colloquium abſcindant, ſuſpicatur item, nè propter ſe intercíderint colloquium illud: Si quis verbulum ſimpliciter dixerit, actutum ſuſpicatur ille, contra ſe dictum; nempè, vt mœrore & triſtitia afficiatur: Deniqque quacunque in re, hic de proximo ſuo malè, ac ſiniſtrè ſuſpicatur; & dicere non veretur, Propter me hoc fecit ille, propter illud & illud fecit. Huiuſmodi eſt, qui animo & cogitatione mentitur: Nuſquam veritatem dicit; omnia ſua nugæ ſunt, curioſitates, anxietates, otioſitates, deceptiones, impoſturæ, contentiones, pugnæ, ſeditiones, conuitia, turbationes, iudicia, ſeu condemnationes. Interdum autem quis aliquid ſuſpicatur, quod fortè fortuna verum eſſe inuenitur; hinc fit, vt dicat, Velle ſe corrigi: Semper tamen curioſè ſe gerit, & anxiè; & ſecum cogitans dicit, Si contra me loquatur quiſpiam, video & agnoſco lapſum & errorem meum, de quo criminatur & accuſat me ille, & meipſum corrigo & emendo. Atqui principium ipſum à malo eſt; Nam à Mendacio cepit originem; ignorans enim ſuſpicatus eſt, quod neſciebat. Quomodo igitur

tur arbor mala & putrida poteſt producere bonos fructus? ſi emendari (vt ait) & corrigi omnino vellet, quando Frater aliquis ex amore, & charitate admonet eum dicẽs, Nè, quæſo te, illud, vel illud agas; vel, Cur hoc feciſti? Non turbetur, nequè triſtetur, aut egrè ferat; ſed reſipiſcat, & det Fratri pacem, ac gratias agat; atquè ad eum modum corrigetur, & emendabitur. Si autem Deus huiuſmodi animi propoſitum inſpiciet, nunquã errare eũ, aut falli permittet; ſed mittet illi prorſus aliquem, qui dirigat eum, & corrigat. Dicere verò, Iccirco ſuſpicionibus credo, vt me corrigam & emẽdem; & deinceps nolle obedire maioribus, atquè otiosè, curioſeq́; ſe gerere; iuſtificatio hæc, & commentum diaboli eſt, qui tendit inſidias, & ſupplantare nos quærit. Cùm eſſem aliquando in Cœnobio, fruſtrà tentabam, ex motu alicuius hominis, naturam & ſtatum eius interiorem deprehendere: Occurrit itaquè mihi res quædam huiuſmodi; Semel, cùm in hac opinione cõſiſterem, mulier quædam aquæ ydriam gerens pertranſit; ac neſcio quo pacto correptus, ad oculos eius animum intendo, ſtatimq́ue ſuſpicatus ſum, ſcortum eſſe. Vt igitur hunc mihi ſcrupulũ cogitatio iniecit, admodum affligebar animo, & fluctuabam, donec omnia ſeniori meo Abbati Ioanni ad hunc modum aperio, dicens, Obſecro mi Pater & domine, ſi cum motum alicuius hominis exteriorẽ intueor, cogitatione mea ſtatum interiorem nolẽs ſuſpicor, & inuitus; quid agendum mihi cenſes? Ita reſpondit ſenex, Quid igitur, nonnè habet ho

mo naturale vitium, & defectus ingenitos, quæ omnia, ſtudioſè certando, corrigere & emendare posſit? Non licet ex hoc ſtatum alicuius cognoſcere: Nec vnquam, Fili mi, ſuſpicionibus tuis fidem aliquam præſtes. Obliqua enim regula & falſa, etiam quæ recta ſunt, obliquat, & falſificat: Falſæ quippè ſunt, & mẽdaces ſuſpiciones omnes, ac mirum in modum lædunt hominem, & corrumpũt. Ex eo tempore, ſi ſuſpicioſa cogitatio mihi diceret, ſolem eſſe ſolem, & tenebras eſſe tenebras, nõ vtiquè illi crederẽ. Nihil enim grauius, nihil moleſtius, nihil moroſius, nihil deniq; inſuauius eſt ſuſpicionibus, & homine ſuſpicioſo: Atquè eò ſunt moleſtiores ac grauiores ipſæ ſuſpiciones, quò fuerint longiori tempore nobiſcum commoratæ. Nam diuturnæ ſuſpiciones perſuadẽt nobis, vt credamus, expreſsè ac manifeſtisſimè cernere ea etiam, quæ nequè vnquam fuerũt. Et rem perquàm admirabilem, in hoc argumento, dicam vobis, quã ego ipſe experimẽto didici; Cùm adhuc eſſem in monaſterio, Fratrem quendam habebamus, qui huiuſcemodi pasſionis morbo ſummopere laborabat: Atquè ita ſuſpicionibus ſuis perditè addictus erat, vt perſuaderi nullo modò poſſet, rem quamlibet aliter ſe habere, aut eſſe poſſe, quã vt ſua ſuſpicio & cogitatio depingebat. Quotidie igitur morbo illo ſuccreſcẽte, & inualeſcente, vſquè adeo ei dæmones impoſuerunt, errorem que eiuſmodi perſuaſerunt, vt hortum ſemel ad ſpeculandum ingreſſus (ſemper enim & obſeruabat, & ſeducebatur) viſus eſt videre quendam, ex

Fratribus furantem ficus, & comedentem. Erat autem paraſceue, hora nondum ſecunda. Vt igitur ſibijpſi perſuaſit, rem illam verè vidiſſe, egreſſus eſt cum ſilentio; ac rurſus obſeruabat ad horam συνάξεως, ideſt, quando Monachi ad ſacram Communionem percipiendam congregabantur; vt videret, quidnam Frater ille in ea Communione ageret, qui paulò ante ſurripuiſſe ficus, & comediſſe viſus erat. Cùm autem aſpexiſſet eum lauantem ſuas manus, quò purius ad Communionem percipiendam ingrederetur; occurrit ad Abbatem, rogatque, vt Fratrem illum, qui tunc ingredi volebat cum cæteris Fratribus, à Communione prohiberet: nam ego, inquit, eum vidi mane ſurripientem ficus, & comedentem. Interea Frater ille, ſumma cum deuotione, & compunctione ingreditur ad ſanctiſſimam oblationem: erat enim vnus ex venerandis religioſis. Vt igitur eum vidit Abbas ingredientem, priuſquam ad presbyterum, à quo communicandus erat, propius accederet, vocat illum, & ait, Dic mihi Frater, quid feciſti hodie? Ille verò expauit, & ait, Vbi Domine? Dicit ad eum Abbas, In horto, quo mane ingreſſus es; Quid ibi feciſti? Ille autem, velut attonitus, rurſus ait, Domine, nè vidi quidem hortum hodie, imò neque hic in Cœnobio fui hodie: nam poſt matutinas vigilias œconomus miſit me foras ad reſponſum quoddã perferendum. Diſtabat autem locus ille, quo miſſus fuerat, multis millib⁹; & eadẽ hora συνάξεως, ideſt, Cõmunionis, venerat. Tũ igitur Abbas, qui œco-

nomum

nomum accerſiret, mittit; Cui, cũ adueniſſet, ait, Quò Fratrem hunc hodie miſiſti? Qui reſpondit, Ad eundem locum eum miſiſſe, vt illemet Frater dixerat; proiectusque in terram, veniam poſtulat, dicens, Ignoſce mihi pater, quoniam quieſcebas à vigilijs; propterea non permiſi eum petere abs te illuc abeundi facultatem. Perſuaſus igitur Abbas, & huiuſmodi verbis plenam adhibens fidem, cum benedictione eos miſit ad ſacram Communionem. Accerſitum itaquè Fratrem illum, qui ſuſpicionibus agebatur, acriter increpauit; atquè à ſacra Communione prohibuit. Non ſolùm autem hoc fecit, ſed poſt expletam ſacram Commu nionem, conuocat omnes Fratres, & quæ euenerant, non ſine lachrimarum effuſione commemorat; ſuſpicioſum Fratrem ſugillat, atquè vituperat coram omnibus; volens hoc vnico negotio tria peragere, nempè, diabolum cõfundere; eum, qui ſuſpicionibus ſcatebat, easquè ſeminabat, palàm traducere, ac vituperare; & peccatum Fratri hac reprehenſione confuſo remittere, ac condonare, vt auxilium deinceps à Deo conſequeretur; & Fratres ſuos firmos, tutos, cautosque redderet, nè vnquam, ſcilicet, ſuſpiciones admitterent, nequè animo poſthac tolerarent: Multaque de re hac loquutus, nos omnes admonuit, vt à ſuſpicionibus caueremus: Et Fratrem illum iubet animo eſſe quietũ; neq; vllis ſuſpiciõibus poſthac grauaretur. Quandoquidẽ nihil eſt grauius, nihil moleſtius ſuſpicionibus: Id qđ exẽplo p̃ſenti cõfirmat, & clarum facit. Verùm hęc, & huiuſmodi multifa-

riam diſſeruerunt Patres noſtri, tutos nos, cautosq́; præſtantes ab omni vanarum ſuſpicionum læſione. Studeamus itaquè, Fratres, atquè omni cura, diligētia, & conatu caueamus; nè quo pacto vnquam ſuſpicionibus noſtris fidem aliquam præſtemus; ſed illas penitus à cogitationibus noſtris abigamus. Nihil enim ita hominem à Deo, & à ſeipſo prorſus alienat, vt huiuſmodi ſuſpiciones; quæ proprijs quidem peccatis & erroribus attendere non ſinunt, ſed faciunt hominem curioſè ea agere, & quærere, quæ non decent. Hinc nihil boni prouenit, nihil recti; ſed innumeræ turbationes, innumeræ afflictiones, & anxietates infinitæ iugiter ſcatent: Hinc fit, vt nunquàm homo quieſcat, nunquàm pacifico otio fruatur, nūquam deniq́ue timorem Dei poſſideat. Itaquè, cùm primū oriri, ſeu ſeminari potius cœperint ſuſpiciones in nobis, ex malitia & iniquitate noſtra; ſtatim illas ad rectam intelligentiam, & ſanam interpretationem inflectamus: Atquè ita nos minimè lædent. Malæ enim ac pernicioſæ ſunt ſuſpiciones; & quam ſemel poſſederint animam, quietem agere, aut pacificè viuere non ſinunt. En, mendacium quo animo committitur, vobis iam expoſui. Sermone mentitur aliquis, cùm ob ignauiam, ad matutinas vigilias aſſurgere detrectat, cunctaturq́;, nec fateri vult torpedinem & ignauiam ſuā Abbati, dicendo, Ignoſce mihi Pater, quia ex ignauia & torpore, ac ſomnolentia, nocte hac, non exurrexi ad matutinas vigilias; ſed dicere non veretur, Febrem paſſus ſum, & vertiginem; ideo aſſurgere

nequi-

nequiui,debilis quidem eram, & ſtomachi, capitisq; dolore torquebar: Atquè alia id genus ſexcenta mendacia proferre,nè vnicum pœnitentię, & humilitatis verbum proferat.Quòd ſi corrigere eum qius,& emendare,aut arguere voluerit in re aliqua;ſtatim ille verba peruertit; par pari refert; ſermonem concinnat, & polit; omnes ſuas phaleras profert;nihil nõ molitur,tantũ nè reprehenſionem,& accuſationem ferre videatur. Similiter etiam,ſi contigerit eum verba facere, aut cũ Fratre contendere; non ceſſat diſceptare, partes ſuas defendere,iura allegare, & varias cauſas, ac rationes proferre,dicens,Hoc tu dixiſti,tu feciſti; ego verò nihil dixi, nihil omnino feci; ac noxam denique omnem,& omnem culpám, & crimen in Fratrem refleᶜtere conatur,tantùm nè ipſe humilietur. Rurſus autem,ſi rem quamlibet concupiſcit,& appetit; non audet dicere rem illam deſidero,ac concupiſco;ſed ſermonem peruertit,& amphibologia, ſeu circumlocutione vtitur, dicens, Hoc patior; hac re mihi opus eſt; huic rei ſubditus,& obnoxius ſum; hoc mihi deberetur: Et toties mentiri pergit,quoad deſiderium ſuum,& cõcupiſcentiam animi ſui expleat. Omne enim peccatum vel à voluptate,vel ab auaritia, vel ab inani gloria,& ſuperbia prouenit. Similiter & mendacium ab his tribus fontibus, ſeu radicibns naſcitur.Etenim,vel nè arguatur, & humiliari cogatur;mentitur quis;vel,vt voluptatem ſuam & appetitum expleat; vel,vt quicquam lucretur. Nec vnquam ceſſat, huc, atquè illuc ſe conuertens,

omnia miſcet, omnia molitur, omnem denique lapidem mouet,donec voti ſui compos efficiatur. Huiuſmodi homini nunquam credendum eſt,nulla ei fides eſt adhibenda,nūquam enim verax eſt. Imò,ſi veritatem aliquam dixerit, nemo illi fidē adhibet,nemo ei credere poteſt; ſed veritas illius ſemper ambigua,obſcura,& inuoluta eſt; nuſquā ſimplex & aperta reperitur. Interdum verò alicuius rei neceſſitas incumbit; quam niſi parumper occultaueris,diſſimulauerisq́;, in maiorem turbationem,& afflictionem conuertetur. Quando igitur huiuſmodi caſus occurrerit, & nouerit homo,coactum ſe eiuſmodi neceſſitate, mutet verba, variet ſermonem; nè grauior fiat afflictio, & maior (vt dixi) turbatio, maiuſque periculum, atquè diſcrimen. Quemadmodum dixit Abbas Alonius Abbati Agathoni, Ecce, inquit,duo viri iuxta te,cædem patrarunt: Alter ad cellam tuam fugit; Ecce princeps, ſeu iudex illum quærit,interrogat te,vtrùm homicidium,& cædes illam coram te ſit perpetrata,& apud te ſit homicida? Niſi te moderatè ac prudenter gubernaueris,ad ſupplicium mortis hominem trades. Quando igitur, ait,diſcrimen aliquod ingens ingruerit, licere puto. Nec ſis tamen vſque adeo ſecurus, ac ſupinus, & ſecors;ſed reſipiſce,pœnitētiam age,lachrimas funde,& plora coram Deo: Atquè hoc tempus reputa,vt tempus tentationis. Nequè id ſæpius, ac frequenter agas; ſed ſemel in multo tempore. Quemadmodum enim theriaca vel aliqua purgatio;ſi quis ea frequēter vtatur;lædit potius,quàm

iuuat ; ſi verò ſemel tempore necesſitatis illam aſſumpſerit,plurimùm confert: Sic itaquè re hac vti debemus,vt nõ,niſi in ſumma, & extrema necesſitate verba mutemus;non frequenter,ſed longisſimo interuallo;nec ſine magno timore,ac tremore ; oſtendentes Deo,& propoſitum,ac voluntatem noſtram , & necesſitatem vrgentem . Ad hunc modum poterit quis protegi,& excuſari,nè offendat . Ecce iam diximus,quis nam mente, & animo,& quis verbo ſit mendax : Reliquum eſt, vt dicere aggrediamur,quis in ſuam ipſius vitam mentiatur . Ille in ſuam ipſius vitam mentitur , qui,cùm intemperatus ſit, & incontinens , ac gulæ, luxuiq́ue deditus ; continentiam tamen , & temperantiam ſimulat ; &,cùm fraudulentus ſit , auarus , alienorumq́ue vſurpator ; de eleemoſyna diſputat,miſericordiam laudat , & animi condolentiam : Superbus , & elatus , animi modeſtiam,& humilitatem commendat : Et cùm non velit laudare uirtutem,illam tamen admirari uidetur : Si enim hoc animo laudaret,& admiraretur,primùm quidem imbecillitatem, & infirmitatem ſuam,propriumq́ue peccatum humiliter fateretur , dicens , Heu me miſerimum , & infęlicem ; omni bono & uirtute priuatus ſum , & nudus . Atquè ita poſt confesſionem propriæ infirmitatis,& miſeriæ,uirtutem ipſam laudare , & & admirari par eſſet.Non enim hoc animi propoſito uirtutem commendat,nè cui,ſcilicet,ſcandalo ſit,& offendiculo:Oportet enim hoc primũ animo reuoluere,& dicere , Certè ego, & uerè infœ-

lix ſum,& miſer,ac malè affectus; quia offendiculo ſum alijs;quia multorum animas lędo,& exemplo meo corrumpo;atquè peccatum & onus alienum mihijpſi iniungo: Ita peccatum,quod in alterum commiſit,fateretur;& nō in bono ſuo gloriaretur. Humilitatis quidem eſt,& animi modeſtiæ,ſeipſum vilipendere,& miſerum putare: Miſericordiæ verò eſt, & condolentiæ, proximo ſuo parcere. Cæterum huiuſmodi homo ſecundū nullum prædictorum modorum (vt dixi) virtutē admiratur,& laudat;ſed,vt vitium, & dedecus ſuum contegat,& obnubilet;iccirco nomen virtutis aſſumit: Et ſic de ea bellè loquitur,ac ſi eſſet ipſe talis:perſæpe virtutem commendat,quò lædat facilius,vel aliquem decipiat,& alliciat. Nequè enim vna tantùm eſt malitia, nequè vna conditio, vel optio. Quin ipſe diabolus omnino ſupplantare aliquem non valet,niſi virtutem aliquam adumbret, & ſimulet: Quemadmodum ait Apoſtolus, quòd ipſe diabolus transfigurat ſe in angelum lucis: Nequaquam igitur mirum, ſi miniſtri eius transforment ſe,in miniſtros iuſtitiæ. Sic igitur mendax, & vanus homo, vel metu propriæ ignominiæ,ac dedecoris,nè,ſcilicet,humilietur, & confundatur; vel, vt aliquem alliciat ac decipiat; de virtutibus loqui ſæpe conatur; easquè extollit, & admiratur,ſibiquè illas vendicat, & vſurpat,tanquam poſſeſſor,& Dominus. Hic verè in ſuam ipſius vitā mentitur,& mendax dicitur. Non enim eſt ſimplex, vt veræ virtutis poſſeſſor eſſe ſolet, ſed duplex eſt,& verſipellis. Alius exterius, Alius

interius.

interius. Alius huic,Alius illi. Duplicem etiam, atquè verſutam, incōſtantemq́; & ridiculam agit vitam. Ecce,quæ ad mendacium pertinent, proſequuti ſumus;nempè,quod à maligno, ideſt,à diabolo originem habeat. Diximus etiam & de veritate;nempè,quòd Deus veritas ſit. Caueamus igitur Mendacium,Fratres,vt à ſocietate,& conſortio diaboli eruamur, & ad veritatem ipſam obtinendam, poſsidendamq́;,pro viribus,certatim cō nitamur;quò verius,faciliusq; illi iungamur, qui dixit,Ego ſum veritas & vita.Deus nos ſua veritate,& vita perpetua dignos efficiat.Amen.

QVOD VIAM DEI, CVM OMNI SOLLICITVDINE,

ſobrietate,modeſtia,& conſideratione, ſeu circunſpectione currere debeamus.

SERMO X.

OMnem curam,obſecro, omnemq́; diligentiam,ſtudium,& ſollicitudinem nobis ipſis, ideſt, noſtræ ſaluti, & profectui adhibere ſtudeamus, Dilectiſsimi fratres. Quis enim nobis reſtituet hoc tempus,ſi fruſtra labi illud ſiuerimus,ac perdide-

rimus? Quærere hos dies poterimus, ſed prorſus nunquam inueniemus. Solebat Arſenius Abbas ſemper dicere ſibi ipſi, Arſeni, ad quid veniſti? Nos verò tanta occupat deſidia, tantaque præmit inertia, vt ad quid venerimus, penitus ignoremus: Nequè profectò ſcimus, quid nam vellemus. Iccircò non modò nullum in religione progreſſum; nullum profectum agimus; ſed ſemper etiã affligimur, angimur, & tribulationibus premimur. Hoc autem inde prouenit, quia nullam de nobis curam, nullam de profesſione noſtra rationem, nullam deniqúe attentionem, & diligentiam in corde gerimus: Sanè verò, ſi certare nobiſcum, ac contendere vellemus; non vſqueadeo certè affligeremur, nequè laboraremus omnino. Etenim, qui in principio vim ſibi ipſi fecerit, atquè pugnando perſtiterit; paulatim ſanè proficiet, ac deinceps pace & quiete bona fruetur. Deus quippè illum reſpicit, & libenter adiuuat, datquè illi quietem, qui viriliter decertat, & ſibiipſi vim facit. Itaquè, Fratres, noſipſos cogamus, compellamusque; ac ſtabile fundamentum iaciamus: Velimusque tandem quod bonum eſt. Nam, & ſi perfecti nondum ſimus; perfectionem tamen ipſam velle, & quod bonum eſt apetere, principium & fundamentum eſt noſtræ ſalutis: Simulac enim velle cœperimus, cœpimus, auxiliante Deo, & pugnare: Non deerit, qui nos ad parandas virtutes adiuuet, modò ipſi decertemus. Proinde quidam ex patribus frequenter dicere ſolebat, Da ſanguinem, & accipe ſpiritum;

hoc eſt, Certa, contende, enitere, & habitum proculdubio virtutis acquires. Cùm ad litterarum ludum pergebam, egreſſus iam ex infantia; à principio admòdum laborabam; vbi verò cœpi librum aſſumere, & lectiones audire, ita ſanè eram pauidus, & formidabam, vt qui agreſtem contingere feram attentat: At, poſtquam meipſum cogere cœpi, & perſeuerans, vim inertiæ meæ inferre decreui; affuit bonitas & clementia diuina, quæ me plurimum adiuuit: Atquè hoc pacto paulatim, Deo opem ferente, ad habitũ diſciplinæ pueni: Tãtusq; erat ardor, & ſtudiũ lectionum, vt perſæpe quid ediſſem, aut quid bibiſſem, vel quomodo dormiſſem, penitus ignorarem: Nequè quiſquam amicorum meorum vnquam ad prandium me allicere valuit: Nequè profectò vnquam lectionis tempore, amicorum colloquia, & confabulationes audiui; comis licet eſſem, & nimium affabilis, ſociorumque non vulgaris amicus. Cùm igitur magiſter ille noſter & ſophiſta dimiſiſſet nos, & ipſe lauarer (opus enim mihi erat quotidie lauari, & humectari, quãdoquidem ob vehemens ſtudium lectionum, areſcebam) domum, vbi manere ſolitus eram, concedebam, ignarus profectò penitus, quid mihi eſſet edendum: Nequè enim mihi vacabat præparare, aut ordinare, quæ neceſſaria erãt ad edendum: Habebam tamen fidum quendam amicum, qui mihi pararet, ſi quid voluiſſem: Accipiebã igitur quicquid ab eo præparatum inueniſſem, habens iuxta me librũ ſemper, ad quem oculos frequẽter inflectebã,

Similiter cùm cubarem, librum iuxta me habebam: Et cùm paululum rapiebar à ſomno, actutū proſiliebam ad lectionem: Rurſus ad veſperam cùm è ludo diſcederem, accendebam lucernam, & ad mediam noctem vſquè, legebam. Denique ita virtutibus, & ſtudio litterario eram affectus, vt nullius rei me voluptas, niſi legendi teneret. Cū igitur ad Monaſterium me contuli, ſæpe mecum ipſe dicere ſolebam, ſi tantus labor, tantuſque feruor fuit tibi in adipiſcenda eloquentia, & in ſtudio lectionis, vt habitum ipſius acquiſieris; quantò maior tibi nunc adhibenda eſt cura, & ſtudium ardētius, vt veras tibi virtutes & animi dotes acquirere valcas? Itaquè hac re, vires accepi nō modicas. Pari modo ſi virtutem quis parare ſibi velit, non ad diuerſa animum diſtrahere debet, nequè ſublimia quædam curioſa, inutiliaq́; rimari. Quemadmodum enim qui fabrilem artem, aliquam addiſcere conatur, nequaquàm animum ſuum alicui arti diuersè applicat: Ita profectò & qui ſpiritualem operationem & artem perdiſcere, & exercere deſiderat, faciendum ſibi proponere debet, vt nulli, ſcilicet, alij rei animum apponat; ſed die ac nocte, ſtudio ſuæ profesſionis inuigilet, omneſque cogitationes ſuas eo figat, donec ad eius poſſesſionem, Deo adiuuante, tandē perueniat. Qui verò ſecùs agit, & ſtudio ſuæ profesſionis non incumbit; non modò profectum vllum nō aget, nihilque in religione lucrabitur; verùm etiā inconſideratè vitam ſuam finiet, tempuſque fruſtrà conſumet, huc, atquè illuc, omni vento circumactus.

cumactus. Etenim, niſi inuigilauerit homo, ſobriusque fuerit,& viriliter decertauerit; perfacilè à virtutibus ad vitia,ceu degener, prolabetur. Nam virtutes ſunt mediæ,& via regia; de qua ſolitus erat ſenex ille perſæpè dicere, Via regia incedite,& ſpatia,ſeu millia metimini,moderateuè percurrite.Mediæ igitur(vt dixi)ſunt virtutes inter exceſſus & defectus: propterea ſcriptum eſt, Non declinabis ad dexteram,nequè ad ſiniſtram, ſed regia via incede. Et Diuus Baſilius ait,Rectũ cor eſt illud,quod nequè ad exceſſum vergit, neq; cogitationibus ſuis ad defectum declinat; ſed ad meditullium virtutis dirigitur: & vt exempli gratia quid dicã,Malitia per ſe nihil eſt; nequè enim ſubſtantia eſt, nequè ſubſiſtentiam habet aliquã. Sed anima,cùm à virtute declinat;ægròtat,maleque afficitur,& malitiã perficit:Vnde à ſeipſa torquetur,ac cruciatur;cùm nullam in ſe naturalem quietem inuenit. Quemadmodum(exempli gratia)lignum, nullum extra ſe vermem habet, ſed putredinem quandam gignit, ex qua poſtmodum paruulus quidam vermis conficitur, qui lignum illud corrodit,& exedit: Simili modo æs rubiginẽ ex ſe gignit,quæ paulatim ipſum conſumit:Similiter etiam & pallium ex ſe tineam gignit, à qua poſtmodum exeditur. Ad hunc igitur modum anima ipſa ex ſe malitiam gignit,quæ antea nõ erat; nec vllã(vt diximus) habebat hypoſtaſim,& ſubſiſtentiam: Poſtmodum verò cruciatur,torquetur, & malè afficitur ab eadem malitia. Vnde præclarè ait Diuus Gregorius Nazianzenus, Ignis,ma-

teriæ fœtus & germen eſt, & ipſam materiam con ſumit, veluti malitia malos deperdit. Quod quidem in corporibus malè affectis, & ægrotis eſt inuenire: Veluti, cùm quis intemperatè ſe gerit, nec regere ſe, & gubernare norit in ſanitate; ſuperfluitas quædam, & redundantia fit humorum, vel defectio; vnde fit poſtmodum turbatio quædam ſanitatis, & inæqualitas: Quamobrem ante hoc nulla erat ægritudo, nequè quicquam tandem erat: Ac rurſus vbi conualuit, & benè habuit corpus, non eſt ægritudo. Eodem quippè modo malitia ægritudo eſt animæ, quæ propria & naturali priuata eſt ſanitate, ideſt, propria virtute. Quare meritò aſſerimus, medias eſſe virtutes, ceù fortitudo media eſt inter timorem, & audaciam. Humilitas, media eſt inter ſuperbiam, & ἀνθρωπαρέσκειαν, ideſt, ſtudium complacendi hominibus, ſeu complacentiam. Similiter Verecundia media eſt inter αἰσχύνην, ideſt, pudorem, & ἀναίδειαν, ideſt, impudentiam: Eodem modo iuxta proportionem ſuam, & reliquæ virtutes. Itaquè, ſi vir aliquis inuentus fuerit, qui huiuſcemodi virtutibus inſignitus, dignus, & redimitus ſit; qualis, obſecro, quamque præclariſſimus is erit apud Deum? Et quanquàm edere & bibere, ac dormire, vt cæteri, videatur; his tamen virtutibus apud omnes præclarus erit, & venerabilis. Itaquè, niſi ſobrij, cauti, diligentesque fuerimus, & nobis ipſis feriò inuigilauerimus; proculdubio à via recta ad dexteram, vel ad ſiniſtrã, ideſt, ad exceſſum, vel ad defectum perfacilè declinabimus;

 abſolu-

abſolutáq; reddemus ægritudinẽ animæ;nẽpè malitiam. Hæc eſt igitur via regia, quam ſancti omnes tenuerunt: Spatia verò ipſius, ſunt varij ſtatus,& conditiones,quæ metiri quiſque debet ſemper,& conſiderare,vbi nam ſit, & quot millia iam confecerit,atquè percurrerit;hoc eſt,ad quem ſtatum peruenerit. Vt exempli cauſa quid dicam, Ad eum ſanè modum ſumus omnes,vt qui egreſſi ab vrbe quapiam, ſcopum habent, & propoſitum eundi ad Sanctam ciuitatem: Et alij quidem peractis quinquè milliaribus, ſubſtiterunt iam feſsi;alij autem percurrerunt decem; quidam verò medium iter peregerunt; nonnulli autem nè iter quidem aggreſsi ſunt omnino; ſed egreſsi quidèm ciuitatem, ſtatim præ foribus conſtiterunt, in fœtore, & graueolentia loci illius: Qui verò ſunt in itinere, interdum quidèm duo, vel tria milliaria progrediuntur;ſed errantes,regrediuntur:Vel duo profecti,quinque reuertuntur: Alij autem ad ciuitatem vſquè progreſsi,extrà tamen permanſerunt, nec Sanctam ingreſsi ſunt ciuitatẽ. En,ita ſumus & nos:Quidã enim ex nobis, relicto ſeculo,ad monaſteriũ deuenerunt,vnicum ſcopũ,& animi propoſitũ habentes;nempè,virtutes vt acquirant; & hi quidẽ, cùm parũ admòdum profeciſſent,illicò deſtiterunt: Alij præterea modicũ quid promouerũt:Alij oĩno nihil profecerũt ſed,cũ putarint ex ſeculo ſe exiſſe,permãſerũt, & & inuoluti ſunt in his,quæ ſunt huius ſeculi;nimirũ,in delitijs,& voluptatibus, in varijs affectibus & illecebris,animo perſeuerant: Alij autem,cum

parum

parum quid boni operis fecerint; rurſus illud, quicquid fuerat,diſſoluunt,& delent: Sunt & nõnulli,qui longè pluſquàm profecerant,deficiunt; & plus deſtruunt,ac diruunt,quàm erexerãt: Alij verò promouerunt quidem in virtutibus, & neſcio quid egregiè fecerunt,profeceruntq́;; ſed ad extremum ſuperbi,elati, & proximorum contemptores euaſerunt:& hi extrà ciuitatem permanſerunt;nequè enim ingredi portam voluerunt:Vnde nequè hi quidem ſcopum ſuum aſſequuti ſunt: Nam etſi ad portas ciuitatis peruenerunt, nullo tamen modo ingredi voluerunt:Quare & hi quoquè ab animi ſui propoſito, & religionis ſcopo ceciderunt.Quiſque igitur noſtrum ſedulò, quæſo, conſideret, Vbi nam ſit; Num egreſſus ſit patria ſua;Num extra portam ciuitatis ſanctæ, in fœtore, & graueolentia reſederit, atquè permaneat; Num parum,aut multũ promouerit, atquè profecerit in via Dei; Num dimidium itineris confecerit;Num duo milliaria tantùm confecerit, & totidem deleuerit: An duo tantùm milliaria profectus ſit,& quinque regreſſus; An profectus vſquè ad ciuitatem, ingreſſus ſit Sanctam Hieruſalem; An intromiſſus non ſit, & ingredi non potuerit. Itaquè vnuſquisq́ue noſtrum,Fratres, ſtatum, & conditionem ſuam,in qua reperitur, conſideret, & examinet diligenter. Tres enim ſunt hominis ſtatus; Primus, qui pasſiones & affectus,ſeu vitia ad operationem perducit: Secundus, qui pasſiones,& vitia ſiſtit,refrenatq́;,nè vlterius, & ad operationem progrediantur: Tertius, qui pasſiones

omnes,& vitia penitus euellit, & funditus eradicat. Qui affectus & paſſiones ſuas ad operationẽ perducit,eſt ille,qui vitia & paſſiones ſuas,nõ modò ad actum,& operationem perducit,conſumat, & perficit,verùm etiam defendit, tuetur, & commendat:Qui verò ſiſtit paſſionem,eſt ille,qui nequè vitium,& paſſiones ſuas operatur, aut executioni mandat; nequè amputat & abſcindit omnino;ſed in eis philoſophatur,& nihilominus tamẽ tranſgreditur: Qui eradicat,& euellit paſſiones, is eſt, qui viriliter decertat; & quicquid vitijs & paſſionibus ſuis cõtrarium eſt, animo promptiſſimo exercet,& operatur intrepidè. Cæterum hi tres hominis ſtatus magnam, ac ſpatioſam habẽt latitudinem:Et vt exempli gratia quid dicam, De qua,obſecro,vultis,paſſione loquamur?Vultis,loquamur de ſuperbia,& elatiõe? Vultis,loquamur de fornicatione? An magis fortaſsè vultis,loquamur de vana,& inani gloria; quãdoquidem ab ea omnes facilè ſuperamur,& vincimur.Propter inanem quippè gloriam, vel minimum audire verbũ à fratre noſtro omnino non poſſumus, nec ſuſtinemus: Nam cùm verbulum audit quis à fratre ſuo in ſe prolatum, cõcitata turbatione pro vno, quinq;,vel certè decem verba reſpondet, pugnat, contendit,& mouet turbas, atquè vndiq; ſtrepit: Cumq́ue à contentione illa, & pugna quieuerit, non ceſſat tamen mala cogitare, & meditari aduerſus eum,qui verbulum illud protulit: Eſtquè non immemor iniuriarum, ac triſtatur vehemẽter,quòd non plura ipſe verba, & acriora protu-

lerit in eum:En præparat ſe ad euomenda grauiora,ſi tulerit occaſio. Et ſecum ait iugiter,Cur illud, & illud ego ei non dixi? Poſſem ei certè dicere hoc;atquè ad eum modum,velut amens,perpetuò furit. En primus ſtatus & conditio hominis qualis eſt:Habet enim primus hic ſtatus malũ in habitu, à quo liberet nos Deus. Hic etiam ſtatus prorſus ſubditus & obnoxius eſt vltioni,& ſupplicio: Omne enim peccatum, cùm ad actum venerit, gehennæ ſupplicio dignum & obnoxium eſt. Nec qui eiuſmodi eſt, etiam ſi voluerit reſipiſcere, & pœnitentiam agere, paſſionem illam ſuperare ſolus poterit vnquàm. Quare opus habet auxilio alicuius ſancti viri; vt patres omnes aſſeruere. Propterea hortor, & admoneo vos, Fratres,vt ſummo ſtudio,& diligentia paſſiones, & vitioſos affectus veſtros abſcindatis, & profligetis à vobis,priuſquam inhabitum conuertãtur, & inoleſcant. Alius autem eſt,qui, cùm verbum audierit,turbatur;& pro vno,quinquè vel decë verba rependit;triſtaturq́ue,& dolet,quòd & alia grauiora,acrioraque non dixerit: Atquè hoc modo iniuriarum,& vltionis reminiſcitur: Verùm non multos poſt dies,mutat ſententiam,& ad ſe reuertitur. Alius per hebdomadam in his moratur,& poſtmodum reſipiſcit. Alius verò conuiciatur, iniurias profert,pugnat,contendit, turbatur, & turbat; verùm illicò reſipiſcit. Ecce quot ſunt conditionum,& ſtatuum differentiæ:& tamen omnes, ſi ad actum & effectum perducuntur,hominem ad gehennæ ſupplicium trahunt. Dicamus

mus & de his, qui ſiſtunt paſsiones; Interdum autem quis verbum audit, & anxietate quadam premitur quidem, cæterum dolet, non quòd iniuria ſit affectus, ſed quòd non æquo animo eam tulerit: Hic de illorum numero eſt, & ſtatu, qui decertant. Alius decertat & laborat, tandem vi paſsionis ſuperatur, & cedit. Alius nollet reſpondere malè, ſed ab aſſuetudine trahitur inuitus. Alius nititur quidem, nè penitus quid malè loquatur; triſtatur tamen, quòd ſit affectus iniuria: Verùm agnoſcit ſe dolore oppreſſum, ſed huius rei ſummopere eum pœnitet. Alius non dolet quidem quòd iniuria & contumelia ſit affectus; at certè non gaudet. Hi omnes paſsiones ſuas ſiſtunt, ac cohibent, diuerſo tamen modò: Nam duo primi differunt à reliquis; nempè, & qui in certamine vincitur; & qui nolens trahitur à conſuetudine. Hi nanquè duo in timore ſunt & periculo operantium, & concertantium: Nam (vt dixi) ex eorum numero ſunt, qui paſsiones ſuas ſiſtunt, & firmant: Affectu enim & animo paſsiones iam firmant, & nolunt operari; dolent tamen & decertant. Solebant Patres, & maiores noſtri firmiter aſſerere, Quicquid animus alacriter non admittit, diuturnum eſſe non poſſe. Contrectent, obſecro, ſeipſos, ac diligenter ſe excutiant, vt, ſi non paſsiones ipſas exciderint; num cauſas paſsionum nondum expulerint, atquè eiecerint; ac propterea vincantur, & ad paſſiones iterum pertrahantur. Sunt qui paſsiones ſiſtere certant, ſed altera paſsione: Nam ſilentio

quis

quis, & taciturnitate aduerſus inanem gloriam ſtudet; alius aduerſus humanam complacētiam; atquè alius aduerſus alium morbum, eidem ſilentio pertinaciter incumbit: Hi omnes malo, malis ſuis affectibus mederi conantur. Dicebat autem Abbas Paſtor, Malitia malitiam nunquam extinguit. Hi profectò, qui ſunt huiuſmodi, rideant licèt, & ſubſannent; inter operatores connumerandi ſunt. Reliquum eſt, vt de his, qui paſſiones ſuas radicitus euellunt, aliquid dicamus. Eſt qui de illata iniuria, & contumelia gaudeat quidem, ſed ea mente, & animi propoſito, vt lucretur, & mercedem indè aliquam nanciſcatur: Is ex illorum quidèm eſt numero, qui paſſiones eradicant, & euellunt; non tamen id ſecundum ſcientiam eſt. Alius autem affectus iniuria, gaudet, & loco debiti, & talionis illud habet; tanquam ipſe cauſam præſtiterit, & peiora mœreri ſe putat: Hic quidē, ſecundum ſcientiam, & cognitionem, paſſiones ſuas eradicat. Cùm enim quiſpiam contumelia affectus, ſibi ipſi cauſam, & culpā imputat, & quicquid euenerit, meritò ſibi cōtingere putat; is profectò ſecundum veram, & exactiſſimam Dei ſcientiam ambulat. Quicunque enim, cùm orat, & ex animo precatur, dicit, Da mihi Domine humilitatis virtutem; ſcire debet, hoc ipſum eſſe, quod precatur, & petit à Domino, nempè, vt aliquem migttat, qui cōtumelijs eū afficiat, & iniurijs. Cùm igit quiſpiā ab aliquo iniurijs & cōtumelijs impetit, debet ſeſe ipſe contumelijs & iniurijs innumeris afficere, atquè animo ſe cōtemnere, & cogitatione ni-

ne nihili pendere: Vt ille quidèm foris & extra eũ deijciat,& humiliet;ipſe verò ſeſe intus deprimat & conculcet. Eſt & alius,qui nõ ſolum gaudet affe ctus iniuria,& cauſam in ſe transfert;ſed etiã triſtatur ac dolet,quòd turbatus ſit, qui iniuriã intulit. Vtinàm Deus ad huiuſmodi nos ſtatum peruenire faciat. Videte Fratres,quàm ampla ſit horũ trium ſtatuum latitudo. Quiſq; igitur noſtrum, (vt dixi)cuius ſit ſtatus,non ignoret, ſed diligenter inquirat. Vtrùm volẽs adhuc operetur;& agat ſecundum pasſiones ſuas,& vlciſcatur; An nolens quidem agat,& inuitus,ac veluti coactus,& à praua conſuetudine ductus, & allectus trahatur ad opus;poſt opus autem doleat & affligatur,ac pœnitentiam agat,& reſipiſcat: An contendat,& decertet,vt pasſiones ſuas ſiſtat,cum ſcientia,& Dei notitia: An pasſiones pasſionibus vincere conetur,vt modò diximus. Quod quidem tunc fit,cùm per taciturnitatem, & immoderatum ſilentium mederi quis velit inani gloriæ, vel humanæ complacentiæ,vel deniq́ue cuiuis alij humanæ,ac temporali cogitationi.Perquirat etiam,& diſcat,vtrũ radicitus cœperit euellere pasſiones;& ſi ſecundũ ſcientiam euellat, & extirpet eas; agatq́; ea,quæ pasſionibus ſunt contraria.Perdiſcat etiam vnuſquiſque,vbi nam ſit,quòue in ſtatu, quot iam milliaria peregerit,quãtumuè promouerit, ſeu profecerit. Etenim non modò per ſingulos dies, verumetiam per quęlibet temporum momenta,per ſingulos menſes,& hebdomadas, noſipſos ſcrutari,rimariq́ue,ac diſcutere ſedulò debemus, & dicere

cere nobis ipſis, Prima hebdomada ſumma vehementia ad huiuſmodi paſsionem delapſus ſum, nunc verò quomodo me habeo? Num quicquam profeci? Pari modo per ſingula temporum ſpatia dicendum, Anno præterito hac paſsione deuictus ſum, nunc verò quomodo me habeo? Atquè ad eũ modum, per ſingula vitia, exercere nos ipſos debemus, & inſpicere num aliquantulum profecerimus, vel in eiſdem volutemur, aut certè ad deteriora prolapſi ſimus. Det nobis Deus virtutem, ac facultatem interea, vt, & ſi non radicitus euellere paſsiones noſtras poſsimus; ſaltem nè ſecundum illas operemur, & agamus, ſed eas ſiſtamus, ac comprimamus. Re uera certè grauisſimũ eſt, paſsionem exercere, atquè in actum proferre, & nolle eam ſiſtere, atquè comprimere. Subijciam vobis ſimilitudinem quandam, cui ſimilem puto eum, qui paſsionem exercet, & euellere eam, aut ſiſtere non ſtudet, ſed vlciſcitur: Perſimilis eſt ei, qui ſagitta percuſſus ab hoſte, ſagittam quidèm manibus ſuis euellit, & in præcordia ſua ipſius illam infligit: Qui autem paſsionem ſiſtit, ac comprimit, ſimilis eſt ei, qui ſagitta percuſſus, & quoniam indutus eſt thorace, plagam, ac læſionẽ aliquam non admittit: Qui verò radicitus paſsiones euellit, ſimilis eſt illi, qui percuſſus quidem ſagitta, non modò non læditur, ſed ſagittam illam manibus ſuis vel confringit, vel in hoſtis præcordia retorquet: Veluti dicitur in Pſalmo, Gladius eorũ intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur. Studeamus ergo & nos, Fratres dilectisſimi,

mi,atquè in via Dei proficere contendamus; & ſi gladium inimicorum noſtrorum retorquere in corda ipſorum non poterimus, ſaltem eorum ſagittas, & tela non admittamus, nec in corda noſtra ea figamus: Quin thorace nos potius armemus,nè quo vulnere lædamur, & ſaucìemur ab illis. Deus pro ſua bonitate nos ab hoſtibus omnibus protegat, detq́; nobis vigilantiæ,ac ſobrietatis virtutem,& per ſuam ipſius nos viam dirigere non dedignetur. Amen.

VT PASSIONES,

ET MORBOSOS AFFECTVS

excidere ſtudeamus;priuſquam in malum animæ habitum tranſeant.

SERMO XI.

ANimum aduertite,quęſo, Dilectiſmi fratres, quonā modo res ſeſe habeant; & cauete nè vos ipſos cōtemnatis: Quandoquidē maxima nos incurrere pericula plerūq; facit vel minima negligētia. Occurri nuper fortè fortuna cuidā fratri ægrotanti,maleq́; habēti;& interloquendū agnoui,qđ ſeptē tātū diebus febre laborarat:Et ecce quadrageſimus iā nunc agitur dies,nec priſtinum adhuc acquirere vigorem vllo modò poteſt. Videte igitur,Fratres, quàm miſerrimum ſit, in aſperam, quenquam,& prauam incidere animi diſpoſitionem..

Contemnit quiſpiam,ac nihili facit paruos,& mi nimos errores;nec tamen interim animaduertit, quòd ſtatim corpus ſuum malè afficiatur,& in pe ius mox ruat; præſertim ſi aliquantulũ fuerit debile,& imbecille:nec ſine multo tum tempore,tũ etiam ſtudio,labore,& ſudore vires ſuas priſtinas poterit reparare.Septem duntaxat dies miſer ille laborarat febre ; & ecce quot dies ſunt; nec tamen conualeſcere,& reſtaurari poteſt adhuc: Idẽ profectò eſt & in anima,quod in corpore. Parum quis,ac modicum peccat,& malè agit;Quantum, obſecro,temporis tranſit, & quantum ſanguinis ſtillat, antequàm ſeipſum corrigat, & ad bonam frugem reducat?Et in corporis quidem ægritudinibus diuerſas, ac varias cauſas morbi reperimus;vel quòd vetuſtate,putrida ſeu rancida medi cina uim,& efficaciã curandi nõ habeat; vel quòd expers,& rudis medicus aliam pro alia medicinã præbuerit : vel certè quòd inordinatè ſe gerat ægrotus, &, vt ſui capitis, quicquid mandatur à medico,obſeruare contemnat. At in anima non eſt hoc ipſum dicere:Nequè enim aſſerere poſſumus,rudem, & expertem eſſe medicum, qui non accommodatas lãgoribus exhibuerit medicinas. Chriſtus enim animarũ noſtrarum eſt medicus, qui,cùm omnia norit,nullus eſt morbus, nulla ægritudo, cui non accommodatisſima pharmaca exhibeat:Et ut exempli gratia quid dicamus,Cœnodoxiæ,ſeu inani gloriæ, humilitatis, & animi modeſtiæ præcepta elargitur; Voluptati & luxuriæ,temperantiam, ac continentiam; Auaritiæ,

eleemo-

eleemoſynam,veluti quoddam antidotum opponit: Et,ut ſimpliciter,atquè vno uerbo dicã,Omnibus languoribus,& morboſis affectibus accommodatisſimas pręceptorum ſuorum medelas appoſuit.Quare non expers,& ignarus medendi noſter medicus eſt;nequè etiam rancidæ ſunt,aut ue tuſtate corruptæ medelæ,ut uim ſuam habere, & exercere non posſint:Nam Chriſti præcepta nulla uetuſtate minuuntur; ſed quò magis exercentur,eò magis,ac magis renouantur. Nihil igitur impedimento eſt ſaluti animæ noſtræ, niſi diſſoluta eius & inordinata temeritas. Attendamus itaquè nobis ipſis,Fratres;uigilemus, ac ſobrietati, & modeſtiæ incumbamus,dum ſuppetit tempus. Cur noſtram ipſorum curam, obſecro, tanti non facimus? Semper aliquid operemur boni,ut in tẽpore tentationis,& tribulationis oportunum auxilium nanciſcamur. Cur,obſecro,uitam noſtrã ita perditam uolumus?Tot quotidie, tãtaq; audimus,& nihil curæ nobis eſt: Omnia contemnimus,omnia effluere permittimus. Videmus quotidie fratres noſtros de medio tolli,rapi,& mori; nec tamen ob id uigilamus; aut aliquam ſalutis noſtræ curam,& diligentiam habemus;nec intelligimus ſtupidi,quòd ſenſim,& in horas,morti appropinquamus. Eccè ex quo dudum huc conuenimus,& ad loquendum conſedimus,duas, aut tres horas noſtri temporis conſumpſimus,& morti uiciniores ſumus,quàm antea: Videmus certè,tempus fruſtrà cõſumi,& labi,nec formidamus. Cur, quæſo, memorandæ ſenis illius ſententiæ non

ſumus memores? qui dicere frequenter ſolebat, Aurum, vel argentum ſi perdiderit homo; poterit tantundem inuenire & reponere; ſi verò tempus amiſerit,nè quaquam illud vnquam inuenire, vel acquirere poterit, nequè aliud pro eo aliquando reficere, ac reſarcire. Sanè verò futurum eſt omnino, vt vel horam huiuſce temporis quæramus, deſideremusque; nec eam habere, vel vllis precibus impetrare posſimus. Quot putas eſſe, qui Dei verbum audire appetant, nec id aſſequi queunt? Nos verò tot, ac tanta quotidie audimus; & contemnimus, faſtidimus, copiaque nimia lædimur; nec reſipiſcimus, aut excitamur. Nouit Deus quòd non mentior: certè equidem extupeſco, & excrucior, cùm noſtrarum animarum ſtuporem, & duritiem conſidero; quandoquidem ſeruare nos ipſos cùm posſimus, nolumus tamen, ac negligimus. Etenim vitia, & pasſiones noſtras, dum recentes ſunt, ac primùm emergunt; perfacilè euellere, & radicitus extirpare poſſumus; ſed nullam penitus curam adhibemus: Quin ſinimus potius illas obdureſcere, & indies magis, ac magis augeri contra nos, vt ad perfectam, & abſolutam tandem malitiam veniamus. Aliud enim eſt (vt ſæpe dixi) herbas euellere, cùm per facilè actutum extirpantur; Atquè aliud eſt ingentem arborem eradicare. Otioſus erat aliquando magnus quidam ſenex, cum ſuis diſcipulis, in loco quodam, vbi multæ, ac variæ, magnæ, ſcilicet & paruæ, conſitæ erant cupresſi: Tunc vni ex illis

diſcipulis

diſcipulis imperauit ſenex, cupreſſum euelleret: Quæ, cùm admòdum eſſet paruula; ſtatim perfacilè euulſa eſt ab eo, vna tantum admota manu. Poſtea oſtendit alteram maiuſculam; quam duabus apprehenſam manibus, euulſit. Rurſus oſtendit & tertiam, paulò maiorem duabus prioribus; quam ille, non ſine magno labore, conuulſit. Quartam quoq; longè maiorem iusſit euelli; quam ille multo conatu, multoque labore, & ſudore vix tandem euulſit. Tunc ſenex adiecit & quintam aliarum maximam; at ille ingenti quoquè labore, & ſudore annixus, euellere neutiquam potuit: Quod ſenex vt vidit, conuerſus ad alium diſcipulum, Surge, inquit, adiuua fratrẽ tuum: & hunc in modum vix tandem ambo illam extraxerunt. Tunc ſenex conuerſus ad omnes diſcipulos ſuos, dixit, Ad hunc modum ſunt paſſiones, & affectus noſtri, Fratres; dum paruuli ſunt, & recentes, ſumma facilitate & quiete, modò velimus, excidere eos, & extirpare poterimus: Si verò eos, vti paruulos & exiguos, neglexerimus, paulatim obdureſcent, conualeſcentque; & quò magis conualuerint, & obduruerint, eò maiore conatu opus erit, & labore. Quòd ſi vires ſuas acquirere, & eos contrà nos exercere ſiuerimus, actum eſt de nobis: Nequè enim amplius vel ſummo ſtudio, & labore expellere à nobis vnquam illas poterimus; niſi virum aliquem Sanctum, & minimè ignarum habuerimus, qui poſt Dei adiutorium, conſilijs, monitis, & orationibus ſuis opem nobis ferre non grauetur. Videtis nè

quantam vim habeant ſeniorem monita;orationes, & auxilia iuſtorum ? Quod & Propheta nos docet in Pſalmo quodam,dicens, Filia Babilonis miſera , beatus qui retribuet tibi retributionem tuam,quã retribuiſtis nobis: beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petrã . Sed rimemur, obſecro,& exponamus latius,quod dictum eſt:Babilonem uocat Cõfuſionem: Ita enim interpretatur,à Babel,quod eſt συγχεῖν,ideſt,confundere,Filiam Babilonis appellat Iniquitatẽ.Primùm quidem confunditur anima , & ſic poſtea iniquitatẽ perficit,& peccatum. Miſeram autem eam appellat,quoniam(ut alias diximus)peccatum,& malitia caret ſubſtantia, non habet eſſe,inſtabilis eſt, & ſine quiete,proinde intolerabilis:Sed ob nimiã noſtram ſecordiam,ex non eſſe, & ex nihilo,ad eſſe aliquod peruenit. Ac rurſus propter nimiam diligentiam,& rectitudinem noſtram ad nihilum redigitur,& perit. Dicit igitur,ceu ad ipſam, Sanctus Dauid, Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam,quã retribuiſti nobis. Diſcamus quidnam dederimus,quid receperimus, & quid reddere velimus. Dedimus illi volũtatem noſtram , recepimus ab ea peccatum . Beatos hic dicit ſermo eos,qui hanc illi reddiderunt . Reddere verò,ſeu retribuere nihil aliud eſt, niſi eam amplius non operari,nec exercere . Deinde ſubinfert,Beatus qui tenebit , & allidet paruulos tuos ad petram ; ac ſi diceret,Beatus,qui genimina tua,ideſt , prauas,& iniquas cogitationes nõ admiſerit,nec aliquem eis locum dederit in principio,ut augeren-

tur

tur & coaleſcerent, ac malum tandẽ operarẽtur; ſed quamprimum dum adhuc paruulæ, & tenellæ ſunt, antequam nutrirentur, & augerentur aduerſus eum, comprehendens illas, alliſerit ad petrã, qui quidem Chriſtus eſt; & penitus eas occiderit, atquè perdiderit, confugiens ad Chriſtum. En igitur, vt iuſti Senes, & maiores noſtri vnà cũ ſacra ſcriptura concordant, & beatos vocant eos, qui cõtra vitia & paſsiones decertant; quiquè eas, dum adhuc recentes ſunt, & tenellæ, radicitus extirpare ſedulò, ac ſtudiosè conniтuntur; antequam, ſcilicet, dolorem & amaritudinem illarum experiãtur. Demus igitur operam, Fratres, vt miſericordiam cõſequamur à Domino; laboremus parumper, & magnã inueniemus animi quietẽ. Nã quo pacto per ſingulos dies noſipſos purgare, & propemodum expiare debeamus, exactisſimè docuerũt Maiores, & patres noſtri: Nempè, vt veſperi ſedulò quiſque perquirat, & inueſtiget, quomodo pertranſierit diem illum: Rurſus mane examinet, quomodo exegerit noctem illam; & pœnitentiã agat, ac reſipiſcat coram Deo, ſi quo pacto (vt fieri poteſt) peccatum aliquod admiſerit. Sane verò, cùm ſæpenumero ac plurimum peccemus, & quã facillimè obliuiſcamur; opus eſſet, frequẽtisſimè, ac ſingulis horis, noſipſos exquirere, rimari, ac perſcrutari diligẽtisſimè, quonam pacto tempus exegerimus, quid commiſerimus, num aliqua in re deliquerimus. Deberet vnuſquiſq; noſtrum dicere ſibi ipſi, Num quicquam loquutus ſum, quod fratrem meum momorderit? Num ſermo meus

aliquem perſtrinxit, ſeu carpſit? Num fratrem vidi res ſuas agentem, & temere eum iudicaui, aut contempſi? Num vidi coquum, qui non lautè & delitiosè coquebat, & murmuraui aduerſus eum; atquè illum infeſtaui, eò quòd cîbaria non benè coxiſſet, nec artificiosè curaſſet? Eſt enim ingens crimẽ & peccatum, aduerſus coquum obmurmurare: Rurſus dicat, Num præpoſitus ceremoniarum, aut quiuis alius ex fratribus dixit mihi quicquam;& ego non tuli, ſed contradixi,& aduerſatus ſum illi? Ad hunc modum ſingulis diebus & horis nos ipſos diſcutere, & examinare debemus,quomodo pertranſierimus,& tempus illud exegerimus. Simili modo quiſque ſe diſcutere & examinare debet,quomodo noctem illam tranſegerit, ſi promptè, & alacri animo ad vigilias ſurrexerit,ſi contempſerit reſpondere, & obſequi ei,qui ad vigilias excitare ſolet, vel contra eum obmurmurauerit. Nemo enim ignorare debet,eum,qui nos ad vigilias nocturnas excitat, optimè de nobis mereri: Plurimis enim nos,atquè ingentibus afficit beneficijs: Excitat enim nos,vt cum Deo loquamur,& cõuerſemur, vt pro peccatis & exceſsibus noſtris illum precemur, vt gratia diuina illuminemur. Quomodo igitur illi quiſque non debet plurimas agere gratias, qui tantorum bonorum nobis eſt author? Multum profectò illi debemus, quãdoquidem ſalus noſtra fermè dependet ab eo. De qua quidèm re,dicam vobis,quod admiratione dignum eſt: Quod ipſe dicere audiui à quodam magno ſene, & venerando pa-

do patre Horatico: Aiebat enim, quòd, cùm ſemel ipſe in eccleſia, nocte excubaret, in principio pſalmodiæ, vidiſſet quendam veſte ſplendida indutum è ſacrario egredientem, tenentemque manu ſua vaſculum quoddam plenum libamine, ac ſanctificatione; tenebat quoque ille & cochleare, quo ſanctificatione illa intincto, ſingulos fratres percurrens obſignabat; eorum verò, qui tunc nō aderant, locum ſignabat, & ſedes: Rurſus autem in fine pſalmodiæ, hoc ipſum fecit, è ſacrario egrediens. Quodam verò die alio tenuit eum ſenex, & proiectus ad pedes eius, rogabat, vt, quid hoc eſſet quod ageret, aperire dignaretur, & quiſnam eſſet ipſe, ediceret: Reſpondit ille, qui (vt dixi) veſte ſplendida & pellucenti erat indutus, Angelus Domini ego ſum; hanc muneris functionem delegatam mihi eſſe ſcias, vt omnes, quos in principio pſalmodiæ ad finem vſquè perſeuerantes, ac diligentes, & promptos in Eccleſia reperero; hoc ſanctificationis & ſanctimoniæ ſigno notare, atquè obſignare debeam; ob illorum, ſcilicet, promptitudinem, & diligens ſtudium, atquè pium animi propoſitum. Dicit ei ſenex, Illorum verò loca, & ſedes, qui non aderant, cur, obſecro, obſignaſti? Reſpondens Angelus Domini, ait, Quicunque ex fratribus animi propoſito ſunt quidem prompti, & alacres ad nocturnas vigilias celebrandas; ſed ob aliquam occurrentem neceſsitatem de voluntate ſuorum patrum, & cū benedictione abſunt, nec intereſſe queunt; aut certè propter obediētiæ præceptū & imperiū, aliquo ſunt occupati nego-

vſquè adeo defeſſus eram,& cõſumptus, vt vix pedibus hærerem.Reſpõdebam itaque illi alto ſomno depreſſus,& veluti alienatus à me ipſo, & aliò tranſlatus, Benè Domine,charitas tua obliuioni non detur;det tibi Dominus huiuſce rei præmiũ: En,vt iusſiſti,propero.Cumquè ille abijſſet,inuitus & nolens iterum obdormiſcebam: Et mirum quidem in modum affligebar,quòd nocturnis uigilijs non interfuiſſem. Cùm verò ille denuò non excitaret me,rogaui duos fratres,alterum, vt excitaret me;alterum verò,vt nõ ſineret me vigiliarum tempore dormire: Ac mihi, obſecro,credite Fratres,ita erga eos afficiebar, ita illos colebam, & amabam,ac ſi ab illis ſalus mea demanaret. Ita igitur vos oportet affectos eſſe erga eos, qui vos ad nocturnas eccleſiæ vigilias,& ad quoduis aliud opus bonum excitare ſolent Quo circa exigenda eſt à nobis(vt modò dicebam)temporis ratio; cõſiderandumq;,ac perquirendum,quomodo diem, ac noctem tranſegerimus;num alacriter,ac promptè ad pſalmodiam, & ad orationem conſtiterimus;num captiuos nos traxerint cogitationes noſtræ morboſæ,& affectu concitæ: Num ſedulò aures noſtras attentas præſtiterimus lectionibus ſacris:Num interciderimus, aut demiſerimus pſalmodiam,inaniter extra chorum vagantes. Si ſeſe quiſq; noſtrum ſingulis diebus excuſſerit ad hunc modum,& reſipiſcere ſtuduerit, ac ſe corrigere, & emendare ea,in quibus deliquiſſe comprehenderit;hic malitiam quidem ſuam ſenſim incipiet diminuere; & quod malè in nouem agebat, vix

poſt-

poſtmodum aget in octo: Atquè ad eum modum tandem, cum Dei adiutorio, ſenſim proficiet, nec ſinet paſsiones ſuas vitioſas obfirmari. Eſt enim ingens periculum, in habitum paſsionum & vitiorum quenquam incurrere: Quandoquidem (vt paulo ante diximus) etiam ſi voluerit, eximere ſeſe ſolus non poterit, niſi adiutus ab aliquo ſancto & iuſto viro. Vultis enarrem vobis de quodam fratre, qui in habitum paſsionis miſerrimè delapſus erat: Audite igitur rem, multis lachrimis proſequendam. Cùm eſſem in Cœnobio, cœperunt: fratres, neſcio quo pacto, ioco nè, an ſeriò, fortaſſe ioco, cogitationes ſuas ad me deferre: Quin & Abbas de ſeniorum ſuorum conſenſu, hanc mihi quoquè prouinciam iniunxit. Quadam igitur die venit ad me quidam è fratribus & dicit mihi, Da mihi veniam, obſecro, Domine, & ora pro me; quoniam & furtim ſurripio, & comedo. Aio ad eum, Cur iſthuc agis? Eſuris nè, ac fame laboras? Reſpondit, Certè equidem, nequè enim mihi ſatis eſt, qúod in communi fratrũ menſa exhibetur; nec audeo quicquam aliud poſtulare. Aio ad eum, Cur Abbatem non adis, & neceſsitatem tuam illi inſinuas? Ait ille, Pudore quidem teneor, & erubeſco. Vis, inquam ego, illum conueniam, & tuam ipſius neceſsitatem illi inſinuem? Age, inquit, vt lubet, pater. Conueni itaquè Abbatem, & rem illi totam (vt erat) expono: Abbas verò fac, inquit, vt bonum tibi videtur, & curam illius habe. Tunc aſſumpto illo fratre ad œconomum me confero, & aio

ad

ad eum, Quacunque hora frater hic ad te veniet, da illi vt edat quantum vult, nihilque prorſus illi denegare velis. Faciebat hoc ille, vt iuſſeram. Non multos verò poſt dies venit ad me iterum frater ille; & Ignoſce, inquit, mihi pater, iterum cœpi & furari, & furtim comedere. Conuerſus ad eum, Cur hoc, inquam, agis frater? Num œconomus denegat tibi quod petis? Ait ille, nequaquam, imò quicquid peto, libenter exhibet; ſed ego potius erubeſco. Tum ego, erubeſceres, inquam, de me? Reſpondit, non: Veni igitur, inquam, ad me, & ſume quicquid velis; & noli poſthac amplius furari. Forrè tunc mihi cura erat infirmorum & ægrotantium. Accedebat igitur ad me, & quicquid illi opus erat, ſumebat. Poſtmodum verò, poſt aliquot dies cœpit denuò furari: Et venit ad me triſtitia & mœrore confectus; En, inquit, pater, denuò furor. Cur, inquam, mi frater; num denego tibi aliquid ex his, quæ vis, & petis? Ait, Nihil certè. Cur igitur, inquam, furaris? Reſpondit, Ignoſce mihi pater, neſcio equidem cur id facio. Re uera, inquam, dic mihi, quid agis ex his, quæ furaris? Reſpondit, Aſino appono ea. Atquè ita inuentum eſt: Furabatur enim fabas, palmulas, ficus, cepas, & alia id genus, quæ poterat inuenire: Quæ quidē omnia partim ſub lectulo ſuo, partim quocunq; alio in loco poterat, occultabat. Demū, cū quid ex eis ageret, prorſus nō inueniret; vbi corrupta & putrida effecta erāt, aſino, ac iumentis ea apponebat. En fratres, videte quā miſerrimū ſit paſſiones habere iā inoletas,
atquè

atquè in habitum prolapſas. Conſiderate, obſecro, quæ miſeria, quæ afflictio, qui cruciatus, quæ denique ſit hæc anxietas in habitum, ſcilicet, alicuius morboſę, ac vitioſæ paſſionis deuenire: Sciebat enim infœlix ille, malum hoc eſſe; non ignorabat, ſe peruersè, & nequam agere; lugebat, cruciabatur; & tamen infœlix à praua conſuetudine illa inuitus trahebatur, quam ex præcedēti ſocordia, & incuria ſenſim ſibi cōparauerat. Vnde probè aiebat Abbas Neſthoron, Si quis trahi ſe à morboſis affectibus, & paſſionibus vitioſis patietur, futurum, vt breui fiat ſeruus earundem paſſionum, & mancipiū vitiorum. Liberet nos Deus, pro ſua bonitate & pietate, ab huiuſmodi paſſionum habitibus, & prauis conſuetudinibus: Nè dicat nobis, Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionē? Dixi iam vobis ſatis abundè, quo pacto quis in habitum veniat. Neq; enim qui ſemel iraſcitur, ſtatim dicitur iracundus: Nequè qui ſemel adulterium committit, illico dicitur adulter: Nequè qui ſemel fornicatur, dicitur fornicator: Nequè qui ſemel miſeretur, actutum dicitur miſericors. Cęterum, vt virtus, ita & vitiū, ex frequētatis actionibus, innaſcitur habitus animæ; poſtmodum foras erumpit, & animam ipſam vel cruciat & torquet, ſi malus fuerit; vel ſi fuerit bonus, ſumma quiete reficit. Quomodo autē anima noſtra virtute quieſcat & reficiatur, malitia verò ac vitijs crucietur & torqueatur, diximus iam alibi ſatis abundè. Nam virtus natura ineſt nobis: Quandoquidem virtutis ſemina haudquaquam

quam deleri poſſunt. Igitur quatenus bona opera exercemus, virtutis habitum acquirimus, id-eſt, proprium noſtrum habitum reſumimus, & in propriam valetudinem bonam, ceu à quadam cæcitate ad proprium lumen, vel à quauis ægritudine ad propriam & naturalem ſanitatem reuertimur. In malitia autem & prauitate nō ita, ſed peregrinum quendam, & extorrem, ac præter naturam, habitū animo ſuſcipimus, cùm mala opera, & prauas actiones exercemus; non aliter, quàm ſi in peſtilētem aliquem morbum inciderimus. Vnde nullo modo poſtea ad priſtinam valetudinem redire poſſemus, abſq; ope & auxilio multo, multiſq; lachrimis ac p̄cibus eorū, q̄ cōmouere Dei miſerationes erga nos valuerint. Quemadmodū & in rebus corporeis videre licet: Sunt enim quędam ciborum genera, quæ mirum in modum humorem generant melancholicum; vt exempli gratia, Raphanus ſeu brasſica, lentes, atquè alia multa id genus, humores generāt melancholicos: Nō igitur, ſi ſemel, aut iterum Raphanum, ſeu brasſicam, & lentem comederimus; actutum in nobis humores melancholici generantur; ſed ſi frequenter, cōtinueq; his vtamur. Huiuſmodi quidem humor ſæpenumerò, cum abundat, grauisſimam ſuperinducit febrem, quæ habentes depaſcit, & vrit, atque alias quaſdam afflictiones & moleſtias plerunque excitat innumeras. Eodem modo fit in anima: Si quis enim peccando pergit, & in malis perſeuerat, habitus quidam malus in eius anima generatur, qui miſeram animam illam torquet,

&

& diuexat. Hoc prꝫterea ignorare vos nolim, reperiri quoſdam interdum adeò procliues & pronos ad aliquas morboſas pasſiones, & vitia; vt ſi vel ſemel tantùm ad actiones illarum pasſionum & vitiorum inciderint, periclitentur, nè ſtatim in habitum quoquè ruant. Idem quoquè & in corporibus contingere nonnunquam ſolet: Inueniuntur enim quidam complexionis adeo melancholicæ, ex incuria quadam, & deſidia illos prꝫoccupante, vt vnicum tãtùm edulium, vnica fermè comeſtio huiuſmodi rerum melancholicarũ ſatis ſit ad reaccendendum, & prouocandum in eis huiuſcemodi melancholicum humorem. Multa igitur vigilantia, & ſobrietate, multo ſtudio, & timore opus eſt, nè in malum habitum delabamur. Credite mihi, Fratres, quòd ſi vel vnicam tantùm quis habeat pasſionem vitioſam in habitum conuerſam, multis pœnis, & cruciatibus obnoxius eſt. Atquè etiam, ſi contigerit, vt plurima bona opera quis operetur, vnum autem opus malum, ex habitu & conſuetudine ſua mala, faciat; huiuſmodi opus malum, omnia illa opera bona ſuperat, & deturpat, atquè denigrat. Quemadmodum enim, exempli gratia, Aquila toto corpore libera, ſi vel vnicus eius vnguis laqueo fuerit cõprehenſus, & deuinctus, ex particula illa minima omnes eius vires deiectæ ſunt, & nullæ; Quãuis enim corpus totum ſit extrà laqueum, ſi minimus eius vnguis deuinctus ſit, nonnè auis tota ſub laqueo eſſe dicetur? Nonnè venator quacunque voluerit hora illam deprehendet, & interficiet? Iſthuc ipſum &

anima

anima noſtra patitur: Nam,ſi vnum tantùm habuerit vitium ex habitu, & conſuetudine inoleta proueniens; quacunque hora voluerit inimicus, deijciet eam, & in captiuitatem deducet: Habet enim eam ſubditam,& veluti mãcipium, propter vitium illud,& habituatam paſſionem. Icciircò ſæpenumerò moneo vos,Fratres, nè vitia & paſſiones veſtras in habitum venire ſinatis:Sed connitamur omnes, & in orationibus vigilemus dies ac noctes, Dominum Deum noſtrum deprecantes, nè in tentationes incurramus. Cæterum,ſi vt homines vincemur,& in aliquod crimen, ac delictũ delabemur;illicò ſtudeamus exurgere,& pœnitẽtiam illius criminis,coram Dei bonitate,cum lachrymis agamus,reſipiſcamusq́;. Vigilemus itaq́ue, Fratres, & in ſpirituali certamine perſiſtamus, vt proſpiciens Deus humilem animi noſtri affectum, atquè propoſitum, afflictionemq́ue,atquè contritionem; porrigat nobis manum ſuam,& auxilium præſtet; ac nobiſcum faciat miſericordiam.

Amen.

DE TIMORE FVTVRI CRVCIATVS; ET QVOD IS, QVI SALVARI CVPIT, nunquam ſalutis propriæ immemor eſſe debeat.

SERMO XII.

CVm ſemel ego dolore pedum tenerer, ac proindè ægrotus, & malè habens lecto cubarem; quidam è fratribus, qui me viſere ſolebant, rogare cœperunt, vt doloris & ægritudinis cauſam eis aperirē. Duo (vt opinor) ex hoc agere volebant, & me afflictum ſolari, doloreque illo leuare, & anſam aliquam mihi exhibere, quò quicquam illis ædificationis gratia, de more, diſſererem. Cæterum, quoniam ingens dolor tunc loqui me, ſi qua volebā, non permiſit; operepretium erit nūc ea de re verba facere. Eſt enim de afflictione & periculo, poſt afflictionem ipſam atquè periculum, periocunda narratio. Etenim in mari, cùm exorta fuerit tempeſtas, omnes quotquot naui vehuntur, timore & anxietate torquentur: Cùm verò tempeſtatis procella tranſierit, ſumma iocunditate & lætitia narrant pericula, quæ contigerunt. Optimum eſt,

Fratres,

Fratres, id quòd perſæpe vobis dicere & inculcare ſoleo; Omnia quæcunque nobis eueniunt, ad Deum ipſum optimum maximum referre;& dicere,ac pro cõpertisſimo habere,nihil omnino fieri abſq; nutu & voluntate diuina; ſed vt bonum nobis,atquè vtile futurum ipſe prȩuidit,ita prorſus fieri,& euenire permiſit;etiam ſi res ipſa cauſam aliquam exterius habere apertisſimè videatur. Et vt exempli gratia quid dicam.Poſſem ego quidem aſſerere,& cauſari,quòd, poſtquam inuitum certè meipſum cum hoſpitibus cibum capere coegi,vt illos reficerem ac refocillarem, paululũ ſtomachus aggrauatus eſt,vt qui hoc agere non eſſet aſſuetus ; hinc factus eſt humorum concurſus ad pedes,vnde grauedine illa infeſtabar.Atquè alias quidem cauſas afferre poſſem: Nequè enim deeſſent,modò vellem.Sed vt verius, ita iuſtius & vtilius eſt dicere, Dei voluntate id factum eſſe,quippè,qui præuidit profuturum id animæ meæ ; atq; equidem ita exiſtimo eſſe : Nihil enim eſt ex his, quæ Deus agit,quòd non optimum ſit, & abſolutisſimum:Nam omnia opera Dei bona ſunt,& bona valde. Nihil igitur opus eſt,vt animũ quis deſpondeat,atquè deijciat in his,quæ contingere ſolent;ſed omnia(vt modò dixi) ad Dei volũtatem, & prouidentiam referat : Atquè ita animum ſuũ fluctuantem leniat,& quieſcere faciat. Reperiuntur enim nonnulli,qui infortunia,& caſus aduerſos adeò moleſtè,& grauiter ferant , vt vitam ipſam repudient; atquè ita animum deſpondeant , vt auidè mortem appetant , quò moleſtijs illis &

anxietate liberentur. Quod quidem euenire ſolet ex nimia quadam animi puſillitate & imbecillitate, nec non ex craſſa humanę códitionis ignorantia, nè dicam ſtupiditate: Ignorant enim hi horrendam illam, ac tremendam neceſsitatem, quam ſentit & patitur anima poſt vitæ huius exitum, & migrationem à corpore. Magna eſt humanitas & benignitas Dei, Fratres chariſsimi, dum in hac vita ſumus: Sed nos ignorantes quę illic ſunt, grauia & moleſta putamus, quæ hic patimur. Non ita certè eſt, Fratres. An ignoratis præclaram illius ſenis ſententiam? Cùm enim quidam frater bonorum operum non exiguus operator ſenem interpellaſſet, dicens, Anima mea, Pater, mortem deſiderat: Reſpondit ſenex, Propterea illum mori appetere, quia afflictiones & tribulationes effugere vellet; nec ſciret, futuras afflictiones longè maiores eſſe, & peiores. Alius itē Monachus, cùm ſenē interrogaret dicens, Vnde eſt Pater, quòd moleſtia ac torpore afficior, cùm moror in cella? Audiuit à ſene, Idcirco id euenire, quòd nondum futuram requiem, nec cruciatus & pœnas illas venturas aſpexiſſet: Si hęc, inquit, diligenter ac ſedulò, animo perluſtrares, in cella etiam vermibus ita plena, vt ad collum vſquè immergereris, abſquè ulla triſtitia, anxietate, & torpore permaneres. Sed heu nos infelices, qui etiam dormitantes, ac ſupini uolumus, & ſperamus ſalutem acquirere, propterea in afflictionibus, & tribulationibus noſtris deficimus, & animum deſpódemus, cùm immortales Deo gra-

tias

tias agere potius deberemus,& beatos nos,ac for tunatos ducere, quòd digni habiti ſimus parumper hic affligi omnino, ut aliquam illic requiem nanciſci ualeamus. Aiebat Euagrius Abbas,Hominem uitioſis paſſionibus affectum, orantem, ut uitam ſuam Deus quamprimùm finiret,ac ter minaret; ſimilem eſſe ei, qui fabrum lignarium rogat,ut lectulum ægroti cito confringat. Dum enim in corpore eſt anima,à uitioſis paſſionibus facilè ſe auellere, & radicitus ſe abſcindere poteſt, atquè abſtrahere, ſi uelit. Comedit, bibit, dormit, familiariter conuerſatur, & cum amicis ambulat: Vbi uerò egreditur à corpore, ſola erit ipſa cum paſſionibus ſuis; à quibus deinceps meritò cruciatur,quia in ipſis ſe exercuit, & occupauit; incenditur etiam, atquè ardet ab illarũ ꝑturbatione,& moleſtia,adeò quoq; ab huiuſmodi paſſionibus dilaceratur, infelix,& diſſipatur, laniaturq́;, ut nullo pacto reminiſci queat ipſius Dei. Nihil enim adèo ſolatur & reficit animam noſtrã, quàm ipſius Dei iugis memoria; id quod & in Pſalmo dicitur, Memor fui Dei, & oblectatus ſum: Et tamen nequè hoc illi permittunt paſſiones. Vultis & exemplo aliquo diſcere, quod ſanctus ille Abbas aiebat? Recludatur aliquis ueſtrum in cella obſcura, & triduo tantùm non edat,neq; bibat,non dormiat,neq; cũ aliquo uerſetur, non pſallat, non oret, nequè prorſus reminiſcatur Dei: & diſcet proculdubio quid in ſe agant paſſiones & affectus, quiduè operentur. Et hoc quidem patitur, dum adhuc eſt in hac ui-

ta,& anima in corpore. Quantò autem magis,ac vehementius infeſtabitur,cùm egreſſa fuerit anima è corpore, & paſsionibus ipſis tradita, atquè vna cum eis coniuncta & vnita? Quid igitur miſera paſſura ſit tunc ab illis, & quæ futura eſt afflictio illius;poteritis ex his,quæ patitur hic, coniecturam facere;immò clarius pleniſsimeq; cognoſcere. Nam cùm febre quis æſtuat, & propemodũ comburitur,quid eſt,quod illum comburit? Qualis ac cuiuſmodi eſt ignis ille?Quæ,obſecro,ligna combuſtionem illam efficiunt? Quòd ſi reperiatur aliquis,qui corpus habeat melancholicum, & intemperatum,malæ vtiq; complexionis, & temperaturæ; nonnè illa mala eius temperatura, & praua complexio torquet,& comburit illum iugiter, turbat, & affligit, atquè adeò cruciat vitam eius,abſquè aliqua intermiſsione? Eodem quippè modo & anima vitioſis affectibus, & paſsionibus obnoxia, à malo habitu, & ab aſſuetudine ꝑuerſa torquetur & cruciatur aſsiduè, perpetuam habens memoriam doloroſæ nugacitatis, & importunitatis ipſarum paſsionum,quæ miſeram illam animam ſemper incendunt,& adurunt. Quis præterea,Fratres,loca illa horrenda,& omni formidine plena enarrare,ac congruo ſermone percurrere queat? Quis corpora illa deformia tortorum deſcribat, qui talem ac tantum dolorem, & dirum cruciatum miſeris animabus ſubminiſtrabunt indefeſsi? Quis ſtupendum illum & ineffabilem ignem? Quis tenebras illas horrendas & obſcuriſsimas? aſperos illos, & inexorabiles iudi-
ces,

ces,vltores;atquè alia innumera,& dira tormenta, quæ paſſim in ſacris litteris recenſentur? Quæ quidem tormenta,congrua proportione,deputata ſunt animarum delictis,ac prauis illarum tùm operibus,tùm etiam cogitationibus. Quemadmodum enim Viri ſancti lucida loca, & manſiones ſplendidas ſortiuntur, Angelorumq; lætitia fruũtur, nimirum, iuxta proportionem vitæ illorum incorruptæ,& bonorum operum;ita viri praui & peccatores in loca detruduntur obſcura, ac tenebroſa,plenaque caligine,horrore etiam & extaſis vt vno ore perhibent Sancti omnes. Quid enim terribilius, ac miſerabilius his locis eſſe poteſt, ad quæ dæmonum cateruæ detruduntur? Quid acerbius,& ſæuius ea pœna,qua dæmones ipſi plectuntur?Cruciantur nihilominus cum ipſis dæmonibus & peccatores,vt ait Dominus, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo,& angelis eius.Illud autem longè formidabilius,& terribilius eſt,quod Chryſoſtomus aſſerit: Ait enim, Et ſi non fluerent illic ignis flumina,ſi non aſtarent horribiles viſu dæmones; at vocari tantùm alios quidem ad honorem,gloriã, & triumphum,alios verò ignominiosè tranſmitti,nè gloriam illam videant:Nonne hæc ignominiæ & confuſionis pœna,hæc tantorum bonorum priuatio,& excifio longè amarior, & acerbior eſt quauis gehenna,quouis cruciatu? Tũc enim propriæ cõſciẽtiæ morſus, redargutio, & accuſatio, atquè ipſa etiam memoria malè factorum,ac ſcelerum(vt paulo ante diximus) durior eſt, ac de-

terior innumeris atque ineffabilibus tormentis, & cruciatibus: Reminiſcuntur enim animæ illic omnium rerum, quas in hac vita egeruut, vt patres noſtri aſſerũt, & ſermonum,& operum,& cogitationum,deſideriorumque, ac nihil horum denique poterunt tunc obliuiſci. Quod autem dicitur in Pſalmo, In illa die peribunt omnes cogitationes eorum; Cogitationes dicit huius ſeculi; quemadmodum ſunt cogitationes domorum ædificationis,locorum, prædiorum, parentum,filiorum,& omnis commercij: Omnia enim hæc, cùm egreſſa fuerit anima à corpore,obliuione pereunt: Nihil vtique horum curat,vel reminiſcitur. Si quicquam verò ſecundum virtutem, aut ſecundum vitioſas pasſiones effecerit:horum omnium reminiſcitur; Nihilque horum omnino perit. Si quem præterea iuuerit, aut ab aliquo fuerit adiutus homo, horum ſemper eſt memor,& adiuti, & adiutoris ſui. Simili modo, ſi quem læſerit, aut læſus à quoquam fuerit,horum ſemper reminiſcitur,& læſi, & lædentis eum: Nihilque horum (vt dixi) per obliuionem amittit anima, quæ benè hac in vita, aut malè geſſerat; ſed omnium, ubi è corpore egreſſa eſt reminiſcitur: Quinimò clarius, lucidiusque reminiſcitur, vt quæ libera ſit, & ſoluta corpore hoc terreno. Loquebamur quandoque cum magno quodam ſene de hac re; aiebat autem ille, Reminiſci animam,exuto corpore,omnium bonarum, & malarum affectionum, in quibus ſe hac in vita exercuit: Reminiſci etiam ſceleris, & perſonæ, qua

cum illud parrauit. Ego verò aiebam, Fortaſsè non eſt ita, ſed habituram eſſe illic habitum, quē peccandi conſuetudo illi peperiſſet; atquè huius illic memor erit. Et ad eum modum diutius inter nos contentionem trahebamus, Volentes ambo de hac re certius aliquid ſcire: Nec omnino perſuaderi potuit ſenex ille, nè diceret, animam reminiſci etiam ſpeciei cuiuſque peccati, & loci, & perſonæ, cum qua peccaſſet. Et re vera, ſi ita eſt, longè peiora erunt nouisſima noſtra, quàm ipſe modò dicebam; niſi attenderimus, mē temque adhibuerimus nobis ipſis. Propterea vos ſæpè moneo, Fratres; & inculcare nō ceſſo, vt ſummo ſtudio, & diligentia cogitationes veſtras hic mundetis, bonasque, ac puras, & ſanctas illas reddere ſtudeatis, quas poſtmodum illic inueniatis. Si quid enim boni habet homo in hac vita, habiturus eſt illud in altera, & vna ſecum ibit, cùm egredietur è corpore. Summa igitur cura, ac ſollicitudine ſtudeamus, Fratres, vt ab huiuſmodi deceptione liberemur; & Deus nobiſcū faciet miſericordiam ſuā: Ipſe enim eſt, vt dicitur in Pſalmo, ſpes omnium finium terræ, & eorum, qui ſunt in mari longè. Hi ſunt in finibns terræ, qui ſunt in abſoluta, & perfecta malitia: Illi verò ſunt in mari longè, qui ſunt in extrema ignorantia: Et tamē Chriſtus omniū iſtorū eſt ſpes. Paruo quidem labore opus eſt nobis: Laboremus igitur modicū, vt magnam miſericordiam conſequamur. Si quis latifundiū habeat, & incuria ſua, ac negligētia ſiuerit, incultū illud fieri; nonnè quātò fuerit, eius incuria,

curia,ac deſidia maior, tantò magis ſpinis & tribulis prædium illud replebitur? Quòd ſi poſtmodum ad purgandum illud acceſſerit, nonnè quò magis ſpinis & tribulis redundabit, eò magis ſan guine fluent manus eius, dum vult euellere herbas illas,quas ſua negligentia ſuccreſcere permiſit? Fieri enim non poteſt, vt quis aliud metat, quàm quod ſeminarit. Oportet autem eum, qui optimè mundare agrum ſuum velit,primùm quidem radicitus herbas euellere:Niſi enim benè ac funditus radices herbarũ euulſerit, ſed tãtũ in ſuperficie eas amputauerit,rurſus pullulant. Sunt igitur(vt dixi)herbarum radices amputandæ, atquè euellendæ.Vbi verò optimè agrum mundauerit,& herbis omnibus infœcundis,ac ſentibus expurgauerit;tunc glebas inuertit,& occat, frãgitque,& aratro ſubigit:Cumque ita optimè terram ſubegerit,atquè aptauerit ſtudiosè, tunc demum ſemen optimum ſpargit: Namſi,poſtquam ita ſtudiosè ac diligenter agrum illũ ſubegerit, & excoluerit,otioſum vacare permiſerit;aſcẽdunt actutum,& ſuperueniunt herbæ, quæ terram illã mollem,& bene ſubactam inuenientes, radices ſuas altius iaciunt,& inualeſcunt,multiplicanturque, & ramos extendunt. Ita res profectò animæ agitur: Primùm quidem vult à ſe excidi omnem veterem affectum,& malas, quas habet, conſuetudines: nihil enim deterius mala conſuetudine, ac moribus prauis.Hinc Diuus Baſilius ait,Non leue,& exiguum eſt certamen,ſuas ipſius vincere,& amputare conſuetudines:Mores enim longo tem

pore

pore & aſſuetudine roborati,& obfirmati,naturę vim accipiunt,& ſeruant. Debet itaque vnuſquiſque(vt dixi)certamen aſſumere, non ſolùm contra malas conſuetudines,& malos mores, ac prauos affectus,verùmetiam contra cauſas ipſorum, quæ ſunt velut radices: Etenim niſi radices funditus euellantur,neceſſe eſt prorſus,vt vepres iterũ enaſcantur,& pullulent. Sunt enim vitioſi quidã affectus,& animi pasſiões,quæ,ſi cauſas illarum, & radices excideris,nihil omnino poſſunt:Veluti inuidia in ſe nihil eſt, ſed habet quaſdam cauſas, quarum vna eſt appetitus,& amor gloriæ: Nam ſi quis appetat gloriam,inuidet ei,qui gloriam aſſecutus eſt,& in honore illi prælatus. Pari modo & ira ex quibuſdam alijs fit,& enaſcitur cauſis, potisſimum verò ex ſtudio,& amore voluptatis. Cuius ſanè rei meminit Euagrius, qui virum quendam ſanctisſimum,ita dicere ſolitum aſſerit, Propterea voluptates à me tollo,vt iracundiæ,& furoris cauſas excidam. Atquè vno ore omnes patres aſſerũt,Pasſiones morboſas oẽs,& oẽ vitiũ ex aliquo quopiam trium horum vitioſorum affectuũ enaſci,& ducere originem ſolere, nempè, vel ex appetitu gloriæ,& laudis;vel ex voluptate,& amore libidinoſo,vel ex auaritia. Debet igitur quiſq; non ſolùm pasſiones excidere,ſed etiam cauſas & radices illarum euellere, ac funditus extirpare: Et ad eum modum bonis moribus animam ſuam excolet per pœnitentiam,fletum,& lachrimas: Et tunc demùm incipiet bonum ſemen ſeminare, hoc eſt,opera bona efficere. Quoniã,(vt de agro

dixim⁹)

diximus) niſi eò purgato, & optimè exculto, ſtatim ſemen bonum iecerit homo; ſuperueniũt herbæ, vepres, mala gramina: Quæ, cum mollem, ſubactam, & bene cultam terram inueniant; plurimam atquè adeò altam radicem agunt. Idem videre licet & in homine: Nam, ſi probè adornarit, & excoluerit mores ſuos, necnon ſi è prioribus operibus ſuis malis reſipuerit; congruamque egerit pœnitentiam; neglexerit verò poſtmodum operibus bonis ſedulò incumbere, virtutesque ipſas ſibi parare, ac posſidere; fiet illi proculdubio, quod Chriſtus in Euangelio, præmonendo dicit, Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem; & non inueniens, tunc ait, reuertar ad domum meam, vnde exiui: & veniens inuenit eam otioſam, & vacuam, omnibus, ſcilicet, virtutibus, & ſcopis mundatam; & ornatam; tunc vadit, & aſſumit ſecum ſeptẽ alios ſpiritus nequiores, & ingrediuntur, & habitãt in hoĩe, & fiunt nouisſima hoĩs illius peра prioribus. Imposſibile nãq; eſt, animã in eodẽ ſtatu iugiter ꝑmanere, ſed promouetur ſemꝑ, au in meliorem, aut in deteriorem. Proindè, qui ſalutem animæ ſuæ deſiderat; non modò mala opera fugere debet, ſed bonis etiam actionibus, & virtutibus fulgere neceſſe habet: Id quod etiam præcipitur in Pſalmo, Declina à malo, & fac bonum. Non dixit, declina à malo tantùm, ſed fac etiam bonum. Quod hoc exemplo fiet manifeſtum: Conſueuerat quis iniuriam inferre, atquè iniuſtè ſe gerere; Vult vt non ſolum alicui iniuriam non

infe-

inferat, verùm etiam vt iuſtè, benignè, humaniterque ſe gerat; & beneficia conferat. Erat quis prodigus? luxurioſus? & decoctor? non ſatis eſt illi poſtea luxurioſè non viuere, aut immoderatè non diffluere; ſed opus eſt temperatè, modeſteque, ac continenter vitam ſuam ducere. Erat quis iracundus? non ſatis eſt illi poſtea, non iraſci, ſed manſuetudinē debet amplecti, & mitis admodum eſſe. Inſolens quis erat, & temerarius, atquè contumax? ſit humilis poſtea, & animo demiſſus, ſibique minimùm arrogans. Et hoc eſt, Declina à malo, & fac bonum. Vnaquæque enim animi paſſio, ſeu vitium, contrariam, & ei oppoſitam habet virtutem: Veluti elatio animi, atquè ſuperbia, humilitatem habet oppoſitam, atquè animi demiſſionem: Auaritiæ autem eleemoſyna aduerſatur: Intemperantia, & luxus, contrariam habet modeſtiam, & continentiam: incuria, ſeu negligentia, vel acedia oppoſitam habet tolerantiam: Ira, manſuetudinem: Odium verò, charitatem: Denique (vt modò dicebam.) Omne vitium oppoſitam habet ſibi virtutem. Iſthæc autem ſæpenumerò vobis inculco. Quemadmodum igitur virtutes à nobis expellimus, atquè reijcimus, & morboſos affectus, ac vitia accerſimus, & inducimus; ita eniti & laborare velimus, non modò paſſiones & vitia, vt procul à nobis expellamus; ſed etiam virtutes & bonos mores vt accerſamus & inducamus; atquè eas veluti iure quodam poſtliminij in ſtatione,

ſua collocemus. Naturaliter enim virtutes habemus à Deo nobis ingenitas: Simulac enim Deus hominem formauit, ſtatim ei virtutes immiſit & infudit: Hinc dicit, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: Ad imaginem dixit, quoniam immortalem, & incorruptibilem, & ſui iuris fecit Deus animam: Ad ſimilitudinem verò dixit, ſecundum virtutem: Dicit enim, Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cœleſtis miſericors eſt: Sancti eſtote, quoniã ego ſanctus ſum: Rurſus Apoſtolus ait, Eſtote inuicem benigni: Et in Pſalmo dicitur, Benignus Dominus his, qui patientes ſunt, & expectant eum: Et multa alia id genus. Et hoc eſt quod ait, Ad ſimilitudinem noſtrã. Quare naturaliter indidit nobis Deus virtutes. Vitia autem, & affectus praui, præter naturã adſunt nobis: Neque enim vitia ſubſtantiam habẽt aliquam, ſeu ſubſiſtentiam: Sed quemadmodum tenebræ non ſubſiſtunt per aliquam ſubſtantiam, ſed pasſio quædam eſt circa aerem, vt Diuus Baſilius ait, priuatione luminis ſubſiſtens; eadem eſt conditio & natura pasſionum ac vitiorum. Cùm autem à virtutibus anima noſtra per voluptatem aliquam deflectit; vitijs ac prauis affectibus aditum parat, & contra ſe illa obfirmat, atquè corroborat. Quare opus eſt nobis, vt quemadmodum in agro, (quod iam ſæpe diximus) poſtquam omnem curam & ſtudium ad excolendum illum impenderimus; ſemen bonum illico iaciamus, quod fructumq; bonum afferre queat; ita & nobiſcum faciamus. Debet præterea, qui ſementem iacit in

agro

agro ſuo, ſimulac ſemen iecerit, obtegere illud, atquè profunda terra demergere: Quoniam accurrunt volatilia, quæ ſemen illud arripiunt; & perit: Vbi verò contexerit, expectat miſericordiã Dei, vt pluuiam, & ſalutarem hymbrem immittat, & creſcat ſemen. Licet enim innumeros impendat labores agricola ad purgandum, & excolendum agrum; niſi tamen Deus hymbrem immittat deſuper, fruſtra labores illos omnes aſſumpſit. Ita & nos agere ſedulò ſtudeamus: Et ſi boni quid vnquam egerimus, illud per humilem cordis deiectionem obtegamus, proijciamus ante Deum infirmitatem, & imbecillitatem noſtrã, precãtes eum, vt laborem noſtrum propitius intueatur, & foueat; aliòquin incaſſum laboramus. Rurſus etiam euenire ſolet, vt cùm hymbrem copioſum habuerit ſemen, & germinare cœperit, ni ſi opportuno tempore poſtmodum aduenerit pluuia, exareſcit germen, & perit: Etenim vt ſemen, ita & germen, vt creſcat, indiget pluuia, donec cõualeſcat, & obfirmetur. Sed nequè certè ob id ſecurus agere, aut citra ſollicitudinem, quis, eſſe, debet. Nam ſępè fieri ſolet, vt, cùm creuerit ſeges, & ariſtas egerit; irruat bruchus, aut grando, vel quippiam aliud eiuſmodi, & fructum omnem deperdat. Ita ſolet interdum & animæ contingere: Cùm enim quiſquam emundare ſtuduerit eam à vitijs, & prauis affectibus, (vt ſæpisſimè diximus) & virtutibus cœperit eam illuſtrare; debet omnẽ conatum, & vires ſuas ad Deum ipſum erigere, & miſericordiam illius, protectionem, & auxilium

attentiſ-

attentiſsimè expoſcere, nè eam deſerat; & in perditionem eat. Quemadmodum enim de ſemine diximus, nempè, quod, cùm germinauerit, creuerit, & ad fructum peruenerit; niſi opportuno tempore hymber acceſſerit, areſcit & perit: Idem eſt & in homine. Nam ſi, poſtquam omnia ipſe fecerit, paululùm protectionem ſuam auerterit Deus, & dereliquerit eum; protinus interit, ac funditus perit. Derelinquitur autem homo à Deo, cùm quippiam agit præter conditionem, ſtatum, & profeſſionem ſuam. Vt ſi quis, exempli gratia, cùm ſit religioſus, & venerabilis, prolabat in ἀδιαφορίαν, ideſt, in vitam communem, promiſcuam, ac citra delectum faciat omnia, quæcunque agit: & ſi humilis quiſquam cùm eſſet, ſuperbus, & inſolẽs efficiatur. Nequè adeò profectò deſerit Deus hominem vulgarem & promiſcuũ, ſi vulgariter & promiſcuè viuat; nequè audacem & inſolentem, ſi audacter & inſolenter ſe gerat; vt deſerit hominem religioſum & venerandum, cùm promiſcuè, vulgariter, & indifferenter ſe gerit; & humilem, ſi inſoleſcit: Hoc enim eſt peccare præter ſtatum, & cõditionem ſeu profeſsionem ſuam. Hinc fit derelictio Dei, quando, ſcilicet, Deus animam deſerit. Propterea nõ immeritò Diuus Baſilius aliter diiudicat peccatum religioſi hominis, aliter peccatum promiſcui & vulgaris. Quãdo verò quis ſeſe ab his omnibus cuſtodierit, animaduertere debet nè, cum boni quicquam agit, inani gloria id agat, aut vt hominibus placeat, vel quouis alio intuitu humano & carnali: Hoc enim modo bonum illud

omne,

omne, quamuis minimum, & exiguũ, perit; vt paulò ante de brucho, & grandine diximus, atq; alijs eiuſmodi. Rurſus autem, & ſi nihil mali in terra patiatur ſeges, ſed cuſtodiatur & conſeruetur illæſa vſq; ad meſſem; nequaq̃ tñ ob id ſecurus agere dẽt agricola: Interdũ enim poſtq̃ q̨s agrũ ſuũ oẽm meſſuerit, & poſt oẽs exhãlatos labores; venit homo prauus, odio & inuidia accenſus, & ignẽ immittit in ſegetẽ meſſam, atq; omnem hominis illius laborem, & fructũ perdit: Quare, niſi triticum omne purgatũ iam in horrea congeſſerit; nõ poteſt, nec debet agricola ſecurus agere. Ita & homo, cùm ex his omnibus, quæ dixi, euaſerit; non tamen debet propterea ſecurus agere, aut ſupinè ſe gerere: Solet enim poſt hæc omnia plerunq; cõtingere, vt diabolus eum ſupplantet, & ſeducat, vel per iuſtificationes, vel per ſuperbiam & arrogantiam, vel per cogitationes infidelitatis, & prauæ hæreſeos: Vt non ſolùm labores omnes eius deperdat, atq; corrumpat, verũ etiã ſeparet illũ à Deo. Et quod nõ poteſt diabolus per operationes agere, agit in eo per cogitationes: Etenim interdũ vnica cogitatione poteſt diabolus hominem à Deo ſeparare, ſi ſuſcepta fuerit ab eo, atq; diutius animo verſata & locata. Quamobrem qui verè ſalutem aſſequi deſiderat, non debet ſecurè, & oſcitanter agere vſq; ad extremũ anhelitum. Eſt igitur nobis opus labore plurimo, ſtudio, cura, ac diligentia non mediocri. Orãdus præterea eſt Deus aſſiduè, vt ipſe nos protegat, ac ſua bonitate ſeruet, ad gloriam ſanctiſſimi nominis ſui. Amen.

VT QVIETE, CONSTANTER, AC CITRA ANIMI PERTVRBATIONEM; tentationes, & aduerſa feramus.

SERMO XIII.

PRæclare admodum Paſtor Abbas aſſerere ſolebat, Nuſquam veri Monachi ſignum & indicium clarius, quàm in tẽtationibus, ac tribulationibus apparere. Debet enim Monachus, qui non fictè, ſed verè ad Dei ſeruitium acceſſerit, præparare (iuxta ſapientiæ dictum) cor, & animam ſuam ad tentationes, & tribulationes; nè penitus expaueſcat, & admiretur, turbeturuè in his, quæ contingere ſolent; pro compertisſimo habens, ac firmisſimè credens, nihil abſquè diuina prouidentia, euenire poſſe. Vbi verò eſt Dei prouidentia, omnino bonum ibi adeſt, & ad vtilitatem animæ fiunt omnia: Quicquid enim nobiſcum agit Deus, pro vtilitate & commodo noſtro proculdubio agit; cùm vehementer nos diligat, parcat nobis, & miſereatur noſtri. Debemus igitur, vt inquit Apoſtolus, in omnibus gratias agere bonitati illius, & nun-

quam

quam triſtari,aut animum deſpondere, vel formi dare in his,quæ nobis contingere ſolent: Sed imperturbato animo ſuſcipere quicquid euenerit, ſummaq; humilitate,& ſpe ad Deum erecta; perſuaſi (vt modò dicebam) ac conſtantisſimè credentes,quicquid nobis aduenerit, ac nobiſcum fecerit Deus, ſumma charitate & amore, ſummaque bonitate factum eſſe; & fieri non poſſe, vt aliter quàm hoc modo faciat miſericors Deus. Si quis enim amicum haberet, & certò ſciret ſe diligi ab eo;tametſi moleſti quicquam ab eo patiatur,credit tamen amanter id fieri;nec vllo modo perſuaderi ſibi vult, lædendi animum vnquam habuiſſe ſuum amicum. Quanto magis hunc animi affectum,hanc perſuaſionem habere nos debemus de Deo noſtro,quòd omnia, ſcilicet, quæ nobiſcum agit, & mera charitate, & amore ſingulari agat; qui nos condidit,ac formauit,qui, cùm non eſſemus,effecit,vt eſſemus; qui propter nos humana carne veſtitus eſt,& mori pro nobis voluit. Et in amico quidem cogitari poſſunt quædam, nempè, quòd amans me, & parcens mihi fecerit hæc omnia:non tamen omnem habet prudentiam,vt res meas diſponere,ac gubernare modo, quo decet, intelligat:propterea nolens fortaſsè,me læſit. In Deo verò iſthæc dici nullaten⁹ poſſunt:Ipſe enim fons eſt,& origo ſapientiæ:Et probè nouit,quæ cõducere nobis poſſunt; adminiſtratque omnia, ac moderatur,vſquè ad extrema nouisſima,ac minutisſima quæquè. Rurſus de amico præterea dici poteſt,quòd nos amet,parcat,curam agat, necnõ

prudens ſit,& adminiſtrare noſtra, ac diſponere norit,non tamen vires habet, vt in his omnibus, quæ mihi neceſſaria ſunt & vtilia, adiuuare me posſit omnino. At non poſſunt hæc dici de Deo: Omnia enim illi posſibilia ſunt: Nequè quicquam imposſibile eſt in conſpectu eius. Cùm igitur ſciamus de Deo,quòd nos amet,quòd parcat nobis, quòd curam gerat de ſuo plaſmate, quòd ipſe ſit fons & origo ſapientiæ, quòd probè norit noſtra diſponere ac gubernare, quòd nihil ſit ei imposſibile,ſed, omnia ſeruiant, & ſubdita ſint illi; debemus vtique credere, ac firmiter tenere, quòd quæcunque agit, ad noſtram vtilitatem & commodum agat: ac propterea cum gratiarum actione omnia de manu eius ſuſcipere debemus, ceu de manu benignisſimi, ac munificentisſimi domini; etiam ſi moleſtiæ quicquam illa & tribulationis attulerint. Omnia enim iuſto, ac recto iudicio fiunt: Nequè enim Deus, qui miſericors eſt, afflictiones & tribulationes noſtras non intueri credendus eſt. Porrò ſæpenumero quiſquam in animo ſuo hæret, ac dubitat,dicens ſecum,Et ſi in his,quę impetu quodam ingruunt,malis,præ dolore, & anguſtia quis peccet,quomodo exiſtimare poteſt, mala illa ad vtili tatem ſuam,& commodum ingruere? Non peccamus in his, quæ nobis inferuntur à Deo, niſi proprerea quòd laboris impatientes ſumus, nec omninò volumus tantillum moleſtiæ, & afflictionis pati, aut quicquam aliud ferre, quod præter animi noſtri opinionem & ſcopum contigerit.

Verum

Verum enim vero Deus nihil omnino permittit contingere nobis ſupra vires noſtras, vt ait Apoſtolus, Fidelis Deus, qui non permittit tentari vos ſupra id, quod posſitis. Sed nos impatientes ſumus, & imbecilles, qui nolumus vel modicum laborare, qui nihil volumus humili corde ſuſcipere; hinc anxietate & mœrore premimur; & quò magis effugere tentationes, ac tribulationes enitimur, eò magis tentationibus & afflictionibus premimur: Et hæc nos paruipendimus, ac nihili facimus: Nec tamen inde eximere nos, ac liberare poſſumus. Porrò ſunt nonnulli, qui necesſitate aliqua correpti, natant, & vrinantur in mari: &, ſi quidem periti ſunt, & gnari urinandi, cùm venientem ad ſe vndam viderint, molliter ſe ſummittunt aquis, & inclinant, donec vnda pertranſeat: & hoc modo qui natant, relinquuntur illæſi: Quòd ſi irruenti vndæ ire obuiam velint, & obſiſtere, proculdubio longius repellerentur, & quaſi iaculum retorquerentur. Rurſus cùm natare incipiunt, ſuperuenit altera vnda; quòd ſi rurſus ipſi velint obſiſtere, atq; ex aduerſo ire, rurſus repellit eos vnda, atq; extrà reijcit; nihilq́; omnino perficerent, niſi quòd vi vndarum frangerētur: Si verò (vt dixi) humiliarent ſe vndis, & inflecterent; præterirent illæ quidem, nec eos omnino læderent; ſed natando perſiſterent quantū vellēt, ac deſtinatū opus perficerēt. Idē & in tentationibus cōtingere ſolet: Si qs enim humili, ac patiēti animo tentationem pertulerit, abſq; aliquo eius nocumento, & læſione, illa pertranſibit: Si ve-

rò angi,triſtari,affligi,turbari,atquè hunc, & illũ accuſare perſtiterit; ſeipſum cruciat, ac lædit,& grauiorem ipſam tentationem reddit: Vndè non ſolùm non proficit, nec tentatione illa iuuatur, verùm etiã ſummopere læditur. Valdè enim proſunt tẽtationes his, qui animo imperturbato eas ſuſcipiunt, ac perferunt: Etenim,ſi paſsio nos infeſtet,aut affligat, perturbari nos propterea non debemus. Turbari enim aliquẽ à paſsione, & affligi,argumentum eſt ignorantiæ,necnon ſuperbię, & elationis indicium; eò quòd ſuam ipſius conditionem,& ſtatum ignoret, & laborem omnem effugiat; ceu patres noſtri dixerũt. Propterea enim nõ proficimus in via Dei,quia modum, ac medio critatem noſtram ignoramus,nec in opere cœpto finem imponere patienter expectamus, ſed citra laborem parare nobis virtutem volumus. Cur enim vitioſis affectibus deditus miratur, ſi vitijs ipſis prematur,ac moleſtetur? Cur affligitur,dum illud operatur? Habes illud & turbaris? Arrabonẽ eius habes,& dicis, Cur me infeſtat, & turbat? Potius autem ſubſtine,patere,expecta,certa,Deũ precare: Nam impoſsibile eſt,afflictionem,& moleſtiam vitioſæ paſsionis eum nõ habiturum, qui iam paſsionem illam vitioſam ad actum, & executionem perduxit. Arma, & inſtrumenta illius intra te ſunt (vt Abbas Siſoes aiebat) da illis arrabonem,& abibunt,vel ſubijcientur. Arma,& inſtrumenta dicit,Cauſas. Quatenus igitur huiuſce modi cauſas diligimus,& operamur, impoſsibile eſt nos in captiuitatẽ nõ adduci à vitioſis cogita-

tioni-

tionibus,quæ poſtmodũ nos vi ſua coget, etiã no lẽtes,operari,& exercere vitia, & morboſas actio nes;propterea quòd ſpontè tradidimus noſmetip ſos manibus,& imperio illorum. Hoc eſt,quod de Ephraim,Propheta dicit, Qui præualuit,ac ſuperauit aduerſarium ſuum, hoc eſt, conſcientiam ſuam,& conculcauit iudicium, quoniam quæſiuit Aegyptum, & vi adductus eſt ad Aſſyrios. Aegyptum,dicunt patres, Voluntatem eſſe carnalem, quæ nos ad corporalem quietem inflectit, & ſenſum ac mẽtem noſtram, voluptuoſam molliciem docet: Aſſyrios autem dicunt,Vitioſas & impuras cogitationes, quæ mentem noſtram perturbant, atquè confundunt, & immundis imaginibus replent;necnon ipſam trahunt,etiam nolentem,ad operationem peccatorum. Itaque ſi quiſpiam ſe ad voluptatem corporis dederit, cogetur etiam nolens ad Aſſyrios adduci, & ſeruire Nabuchodonoſor.Id cùm cognouiſſet Propheta, affligebatur admodum,ac dicebat eis,Nè deſcendatis in Aegyptum,quid agitis miſeri?humiliamini parumper, flectite humeros veſtros, & operamini regi Babilonis,& ſedebetis in terra patrũ veſtrorum: Rurſus excitat eos,dicens, Nè timeatis à facie eius, quoniam nobiſcum eſt Deus,vt eruat nos è manibus eius: Deinde prædicit eis venturam afflictionem,ſi perſtiterint non obedire, nec obtemperare Deo, Si verò,inquit, ingreſſi fueritis in Aegyptum,eritis ceu inuium quoddam,& eritis ſubditi,& in maledictionem,& in opprobrium, & confuſionem.Et dicũt ei illi,Non ſedebimus in terra

hac, quoniam in Aegyptum deſcendemus, & non videbimus bellum, & vocem tubæ non audiemus, nec in panibus fameſcemus. Deſcenderunt igitur, & ſeruierunt ſponte Pharaoni: Poſtmodum verò vi adducti ſunt ad Aſſyrios, & ſeruierunt illis etiam nolentes. Animum aduertite obſecro, Fratres, ad ea, quę dicuntur; priuſquam quis vitioſam paſſionem ad opus perducat, & ſi contra eum pugnent cogitationes, ueruntamen, ceu in ſua ciuitate, adhuc liber eſt: Habet autem & Deũ opitulantem ſibi. Si igitur humiliauerit ſe coram Deo, & iugum afflictionis ac tentationis, cũ gratiarum actione, ſubſtulerit, certaueritq̃ue parumper; auxilium illi diuinum adueniens, liberabit eum: Si verò certamen fugerit, ac laborem, & corporeis ſeſe ingeſſerit, atquè immerſerit voluptatibus; tunc proculdubio vi trahetur inuitus ad terram Aſſyriorum, & ſeruiet illis etiã nolens. Tunc deinceps ait illis Propheta, Orate vt viuat Nabuchodonor, quoniam in vita illius erit ſalus. Nabuchodonoſor eſt, Non deficere in afflictione alicuius tentationis ſuperuenientis, nequè recalcitrare, ſed cum humilitate ſubſtinere illam, & pati; tanquam debitor ſis exiſtimare habereque pro comperto, liberari ab huiuſmodi tentationis & afflictionis onere, te non eſſe dignum; ſed dignum potius, vt prorogetur, & obfirmetur, ac contra te conualeſcat tentatio; cauſam verò tibi aſcribere debes, etiam ſi tunc non agnoſcas; firmiſſimè credens, nihil iniuſtum, nihil iniquum, nihil denique indiſcuſſum eſſe apud Deũ.

Quemadmodũ frater quidam mœſtus & flens, ꝙ tentationem ab eo Deus abſtuliſſet, dicere ſolebat, Domine, nonnè ſum dignisſimus, vt aliquantulum abs te affligar? Rurſus ſcriptum eſt, quòd diſcipulus cuiuſdam magni ſenis oppugnabatur à ſpiritu fornicationis; cumque eum laborantem aſpexiſſet ſenex, ait illi, Vis rogem Deum, vt leuiorem tibi pugnam iſtam reddat, Fili? Reſpondit ille, Et ſi in hac tentatione laboro, Pater, & affligor; video tamen, ex ea fructum non modicum me ſuſcepturum: Roga obſecro, Pater, Deum potius, vt patientiam mihi, ac fortitudinem largiatur. Ecce hi ſunt, qui feriò ſalutem aſſequi volunt: Hoc enim eſt, cum animi humilitate iugum portare; & pro ſalute Nabuchodonoſor regis precari. Propterea ait Propheta, In vita eius eſt noſtra ſalus. Idem eſt dicere, Video ex labore huius tentationis fructum in me, & dicere, In vita illius eſt ſalus mea. Quod ita eſſe oſtendit, ac declarauit ſenex ille reſpondens ei, & dicens, Hodie cognoui Fili, quòd & proficis, atq; in via perfectiõis es, & me ſuperas. Cũ enim quis oppugnatur, ac prouocatur ad peccandum, & ille quidẽ viriliter repugnat, ac cõtra vitioſas animi ſui cogitationes decertare nititur, humiliatũ, affligitur, ſollicitus eſt, & anxius: Et per huiuſmodi afflictiones, ac laborioſa certamina ſenſim purgatur, & à terrena contagione mũdatur. Atq; ad naturalem quandam puritatẽ perfacilè reſtituitur. Quare, vt diximus, ob ignorantiam, & animi ſuperbiã turbatur aliquis, cũ à vitioſis affectibus infeſtatũ;

quin

quin ſuam potius menſuram & modum humiliter agnoſcere deberet, nec non orando patienter expectare,donec cum illo Deus ſuam exerat, atquè exerceat miſericordiam. Niſi enim quis fuerit tentatus,& nouerit,expertusq́; fuerit afflictiones paſsionum;haudquaquam certare contẽdet, vt puritatem,& mentis munditiam obtineat. Dicit autem Pſalmus de huiuſmodi,Cum exorti fue rint peccatores,ſicut gramen,& apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, vt intereant in ſeculum ſeculi. Peccatores, qui vt gramen oriuntur, ſunt, Cogitationes vitioſæ, & immundæ: Debilis enim eſt herba, vel gramen,nec vim habet validam.Cùm igitur exoriuntur in ani ma cogitationes vitioſæ, tunc apparent omnes, qui operantur iniquitatem,quæ ſunt paſſiones vi tioſæ,vt intereant in ſeculum ſeculi:Nam cùm ap parent huiuſcemodi vitioſæ paſſiones,his,qui ſeriò certant,ſtatim ab ipſis perimuntur, & funditus intereunt.Conſiderate,obſecro,atq; intelligi te conſequentiam,& ordinem orationis.Primùm exoriuntur vitioſæ cogitationes: Deinde apparẽt paſſiones & affectus morboſi,& ſic deinde pereũt. Iſthæc omnia ad eos pertinent, qui ſeriò certant. Nos verò,qui peccatum opere exercemus, paſſio nes ipſas vitioſas ſemper conſectantes, nec,quando exoriuntur cogitationes vitioſæ,ſcimus, neq; quando paſſiones ipſæ morboſæ apparent; vt con tra eos decertemus: ſed adhuc deorſum in locis imis ſumus in Aegypto, miſerabilem exercentes lateritiam ſeruitutem Pharaoni. Et quis dabit

nobis,

nobis,vt vel ad ſenſum & cognitionem miſerę no ſtræ,atq; amarę ſeruitutis pertingere valeamus, quos noſmetipſos humiliemus, ſtudeamusq́; miſericordiam aſſequi? Quando filij Iſrael erant in Aegypto,ſeruiebantq́; Pharaoni,exercebant lateritiam functionem. Qui huiuſmodi autẽ functionem exercent lateritiam, ſemper ſunt in terram proni,atquè deiecti,ſolo oculos defixos habẽtes. Haud aliter ſe habet anima, cùm Diaboli ſubiecta fuerit imperio, ac ditioni, peccatumq́; opere & actione compleuerit: Cõculcat enim malignus ille prudentiam,& ſapientiam ipſius animæ, cogitq; eam nil ſpirituale,ac diuinum, ſed asſiduè terrenum,ac carnale,& cogitare, & opere exercere. Aedificauerunt ei ex lateribus, quos effecerãt, tres ciuitates munitas,Pitho,Ramasè,& On,quæ heliopolis eſt,ideſt,ciuitas Solis. Hæc autem ſunt Luxuria, Auaritia,& Inanis gloria:ex quibus conficitur omne peccatum. Cùm verò Moſen miſiſſet Deus,qui educeret eos ex Aegypto,& de ſeruitute illa Pharaonis, oppresſi ſunt magis à Rege circa opera illa lutea,& dicebatur illis, Otio torpetis,& deſidia,propterea dicitis, Ibimus,vt ſacrificemus Deo noſtro. Similiter & Diabolus,cùm viderit,annuiſſe Deum miſereri alicuius animæ, & decreuiſſe eam ſubleuare, atq; eximere à ſuis vitioſis affectibus,ſermonis ſui miniſterio, aut alicuius ſuorum ſeruorum,tunc malignus ille Diabolus magis ac magis pasſiones, & vitioſos affectus aduerſus eam grauat,ac vehementius oppugnare eam aggreditur. Quod cùm perſpectum haberent

berē: patres, corroborare hominem doctrina ſua & exhortari ſtuduerunt, nec eum timere inimicū permiſerunt. Et hic quidem ait, Cecidiſti? Surge. Et iterum, Cecidiſti? Iterū, Surge. Et ſic deinceps. Alius verò rurſus dicit. Robur, ac fortitudo eorū, qui comparare ſibi virtutes deſiderant, eſt, vt, ſi ceciderint, non animo ſint puſillo, nec deficiant, ſed curam ſui habeant, vt reſurgant, & reſpirent. Et quisq; eorum ſimpliciter ait, quicquid animus tulerit: Alius quidem hoc modo, alius verò alio manum ſuam porrigit his, qui oppugnantur, & affligūtur ab aduerſario. Et hoc à ſcriptura Sacra acceperunt, quæ ait, Num qui cadit, non reſurget? nunquid auerſus non conuertetur? Conuertimini ad me filij, & ego ſanabo contritiones veſtras, dicit Dominus, & quęcunq; ſunt huiuſmodi. Vbi verò aggrauata eſt manus Domini ſuper Pharaonē & ſeruos eius, & voluit dimittere filios Iſrael; dicit Moſi, Ite, ſacrificate Deo veſtro, Veruntamē relinquite oues veſtras, & boues veſtros: quę quidem mentis cogitationes ſignificant, quibus Pharao dominari volebat, ſperās per eas denuò filios Iſrael ad ſe reducturum. Dicit illi Moſes, Nequaquam, ſed dabis etiam nobis ſacrificia, & holocauſtomata, quę offeremus Domino Deo noſtro: Itaque & pecora noſtra proficiſcentur nobiſcum, & nè vngulam quidem relinquemus. Vt verò Moſes eduxit filios Iſrael ex Aegypto, & tranſuexit illos per mare rubrum; volens Deus adducere eos ad ſeptuaginta arbores palmarum, & ad duodecim fontes aquarum; primùm adduxit eos ad Marrá,

vbi populus affligitur, cùm non inueniret aquam ad bibendũ, nam illa erat amara: Ex Marra adduxit eos in locum vbi erant ſeptuaginta palmę, & duodecim fontes aquarũ. Eodem modo ſe habet & anima; quę, cum à peccato quieſcit, & pręter-greditur mentale pelagus, primùm eniti debet, vt anxietates varias, ſolicitudines, moleſtias, anguſtias & afflictiones innumeras certãdo perferat: Et hunc in modũ per varias nimirũ tribulationũ procellas in ſanctã demum peruenire quietẽ. Nã per multas tribulationes oportet nos ingredi regnũ cœlorum: Afflictiones enim, & tribulationes miſericordiã Dei in animã mouent, atq; adducũt ceu venti pluuiã. Et quemadmodũ multa pluuia ſuperueniens, ſi recens fuerit, & tenellũ germen corrumpit, ac putreſcere facit, & perimit fructum eius: Venti autem ex parte deſiccant & corroborant illud. Ita eſt & in anima. Remisſio enim, & incuria, atq; deſidia, otium, & ceſſatio eneruant & emolliunt, atq; disſipant: Tentationes verò, ſeu afflictiones conſtringunt illã, atquè colligunt, & vniunt, vt ait Propheta, Domine in tribulatione recordati ſumus tui. Quocirca (vt dicebam) non oportet nos turbari & affligi, neq; tędio & anxietate torpeſcere in tẽtatiõibus ac tribulatiõibus, ſed patienter perferre, & gratias agere, atq; humili corde Deum precari asſiduè, vt miſericordiam ſuam erga imbecillitatem, & miſeriam noſtram effundat, & protegat nos ab omni tentatione, in laudem & gloriam nominis ſui. Amen.

DE AEDIFICIO, ET CONGRVITATE, SIVE CONCORDIA virtutum animæ.

SERMO XIIII.

NArrat diuina Scriptura de obſtetricibus illis, quæ maſculos filios Iſraelitarum viuos conſeruarũt; quòd, cùm Deum timerent, ædificarũt ſibi domos. Num de materialibus domibus dicit? Quam, obſecro, rationem habet, vt propter timorẽ Dei ædificarent ſibi domos; cùm contrà, relinquere, quas habemus, domos, nos doceamur, propter timorem Dei? Vnde patet, non de materiali & ſenſibili domo dictum eſſe, ſed de animæ domicilio potius, quod ſibi quiſque ædificat, dum præcepta Dei piè obſeruat, religioſeq; cuſtodit. Docet nos huiuſmodi exemplo diuina ſcriptura, timore diuino præparari animam noſtram ad cuſtodiam & obſeruationem mandatorum Dei. Cuſtodia verò, & obſeruatione mandatorum Dei, animæ domicilium ædificatur, atquè conſtruitur. Attendamus igitur nobis ipſis, & mentem adhibeamus, Fratres, timeamus & nos Deum, nobiſq; domos conſtruamus, & ædificemus; vt hyberno tempore tegumentum inueniamus, quo nos recipere poſ-

ſimus,

ſimus,atquè hymbres,fulgura,tonitruaq́; euadamus: Quoniam grauis quidẽ incumbit moleſtia hyberno tempore domum non habenti. Quomodo autem animæ domicilium conſtruatur, atquè ædificetur,ex materiali quidem domo facilè perſpicere, & addiſcere poſſumus eius rei exactam certitudinem. Oportet autem eum, qui animæ ſuæ domicilium conſtruere deſiderat, vndequaq́; illud munire,ac tutum reddere,& à quatuor lateribus ædificium æquè attollere; nè vnius tantùm partis curam habere videatur, alias verò partes negligere: Quãdoquidem hoc modo nihil omnino proficeret,ſed laborem omnem, & omnes impenſas fruſtra conſumeret. Idem eſt & in anima. Debet profectò homo nullius partis ſui ædificij curam omittere,aut neglectui habere, ſed æquali proportione illud accommodè erigere. Hoc eſt illud,quod dicere ſolebat Abbas Ioannes, Vellem ego,vt ab vnaquaq́; virtute quis decerpat, & non (vt quidam faciunt) vnam tantùm amplectatur, & illi ſoli ſemper inſiſtat, cæteras verò neglectui habeat,ac poſt terga reponat. Fieri poteſt, vt in ea,cui tantùm inſiſtunt virtute, primas quidem obtineant illi, neque propterea ab oppoſita paſſione vitioſa opprimantur;cæterũ,à reliquis paſſionibus vitioſis plerunq; & corripiuntur, & opprimuntur.Nec curæ hoc eſt illis,ſed magnũ quid habere ſe putant. Hi perſimiles eſſe videntur ei, qui ædificat parietem vnum,& illum dumtaxat in altum vehementer erigit, quoad fieri poteſt: Ad cuius altitudinem cùm tantùm proſpiciat, magnum

gnum

gnum neſcio quid proinde extruxiſſe ſe putat, ignorans quòd ſi vel modicus quilibet ventus fla uerit, ad terram illum detrudere quàm facillimè poſſet: Solus enim cùm ſit, aliorum parietum con nexionem non habens, cōſiſtere & perdurare diu minimè poteſt. Nequè ſibi quiſquam ex vnico pa riete conſtruere tectum penitus valet: Eſt enim nudatus à cæteris partibus omnibus, atquè lateri bus. Non itaquè hoc pacto fieri oportet: Quin po tius, qui conſtruere ſibi domum, ac tectum conde re voluerit, ab omni parte & latere fabricare il- lud oportet, atquè vndequaque munire. Quo ve- rò pacto id efficere debeat, paucis edicam. Primū quidem iaciendum eſt illi fundamentum, quod eſt fides. Nam abſquè fide impoſsibile eſt Deo quemquam placere. Deinde erigendum, ac con- ſtruendum eſt ædificium huic fundamento con- gruum, ac proportionatum. Occurrit obedien- tia? Primum lapidem ponat obedientiæ. Accidit fortaſſe aliqua fratris irritatio, ſeu fraterni ani- mi commotio? patientiæ, ac longanimitatis, & manſuetudinis, lapidem ponat. Obuiam ſe tulit temperantia, ſeu continentia? Addat & continen- tiæ, ſeu temperantiæ lapidem. Atquè ad eum mo dum ex qualibet virtute, quæ occurrerit, ſumen- dus eſt lapis, & ædificio apponendus. Atquè hoc modo ædificium illud erigat per circuitum vndi- que, hinc quidem vno lapide miſericordiæ & con dolentiæ, inde verò lapide abnegatæ voluntatis, alia ex parte lenitatis & manſuetudinis, necnon cæterarum virtutum lapidibus huiuſmodi con-

ſtruat

ſtruat ædificium. Potisſimùm autem in his omnibus patientiæ curam gerat, & fortitudinis. Nam hæ duæ virtutes anguli ſunt, & ædificium connectunt, vniuntque parietem parieti, vt alter ab altero minimè deflectat, minimeque abſcindi, aut abrumpi queat. Abſquè his etiam duabus virtutibus, nullam omnino quis aliam abſoluere, ac perficere virtutem par erit: Etenim niſi fortitudinem quis in anima ſua poſſederit, patientiam, ac tolerantiam habere nullo modo poterit. Quòd ſi patiens non fuerit, aut aduerſa ferre noluerit; rectè, aut laude dignum efficere aliquid omnino non valebit. Propterea dicit, In patientia veſtra posſidebitis animas veſtras. Debet etiam, qui fabricat, ſingulos lapides vna cum cæmento ponere, atquè connectere: Nam ſi lapides proiecerit ſuper lapides abſq; cæmēto, proculdubio excutiũtur, nec cõſiſtere penitus poterit ædificium, ſed oẽ ruet. Porrò cæmētum, cordis humilitas eſt. Eſt.n. à terra cæmentum, quæ pedibus omnium ſubijcitur. Omnis igitur virtus, ſine humilitate, non eſt virtus; Quẽadmodum in libro ſeniorum legitur. Et quemadmodum fieri non poteſt, vt nauis aliqua compingatur, ac fabricetur ſine clauis; ita fieri omnino non poteſt, vt aliquis animæ ſalutem conſequatur, abſque vera mentis humilitate, & animi demisſione. Quicunque igitur boni quicquam facit, cum humilitate faciat; vt per humilitatem conſeruetur, quod factum eſt. Debet etiam habere domus lora quædam, ſeu colligationes (quæ diſcretionem quandam ſi-

gnificant) quæ domum fortificant, atquè confirmant,& lapidem lapidi connectunt,ac totum ædificium conſtringunt,& ligant,multumque præterea decorem & ornatum exhibent. Tectum verò charitas eſt, quæ abſolutio quædam, & perfectio eſt omnium virtutum,ceu tectum domus.Deinde poſt tectum, corona quoquè circumponenda eſt domui.Scriptum eſt autem in lege veteri, Si ædificaueritis vobis domum,& cōſtruxeritis vobis habitaculum,& feceritis illi tectum,fabricate circūcirca coronam in tecto, nè paruuli veſtri ruant de tecto. Corona illa eſt humilitas mentis: Hæc enim eſt,quæ virtutes omnes & coronat, & conſeruat.Et quemadmodum omnis virtus ex humilitate gignitur,& cum humilitate producitur,atquè exercetur(ceu ſupra diximus,quòd ſinguli lapides cæmento illiti in ædificio ponantur) ita virtutum omnium abſoluta perfectio humilitate cōpletur. Siquidem omnium ſanctorum profectus,atquè perfectio, acceſſus quidam eſt,& progreſſus ad humilitatem. Et (quod per ſæpe vobis dicere ſoleo) quantò quiſque Deo fit propior ac coniunctior,tantò ſe magis agnoſcit, & intelligit peccatorem.Sed quinam ſunt paruuli illi,de quibus ait lex,Nè paruuli veſtri cadant, & ruant è tecto?Paruuli quidem ſunt cogitationes,quæ in anima noſtra gignuntur;quas oportet humilitate cūſtodiri,nè ruāt è tecto;quam paulo ante diximus eſſe omnium virtutum conſumationē.Ecce perfecta eſt,& conſumata iam domus: Habet lora, ſeu colligationes,habet tectum, habet & circumcirca

coronam,

coronam, habet demum & cætera, quæ ad perfe-ctionem illi neceſſaria ſunt. Num aliquid, obſecro, deeſt illi? Deeſt profectò aliud. Quid nam illud eſt? Vt fabricator ſit peritus, & gnarus artifex: Niſi enim peritus ſit artifex, parum quid totum ædificium deprauat, & domus fortaſſe ruet. Artifex eſt ille, qui ex peritia, & ſcientia artem ſuam exercet. Solet enim quandòque contingere, ut virtutis laborem quis præſtet, ſed quia ſine peritia & ſcientia id agit, laborem illum fruſtra conſumat, & in nihilum reſoluit; vel quo ſe reducat, & reuoluat, haudquaquam inueniat, nec perficere opus omnino queat. Sed vnum lapidem ponit, & ipſum poſtmodum tollit. Eſt & alius, qui vnicum quidem lapidem ponit, & duos aufert: Quod exemplo fiat manifeſtum: Accedit frater, & proteruis quibuſdam fortaſſe verbis, atquè inſolentibus mordet te, premit, atquè infeſtat: Tu verò taces, & proſtratus in terram, veniam petis ab eo: Ecce lapidem vnum appoſuiſti. Poſtmodũ abis tu, & alio quopiam reperto fratre dicis ei, Iniurijs me frater ille, & contumelijs affecit, illud & illud mihi dixit, at ego non ſolùm tacui, ſed veniam proſtratus etiam petiui: En lapidem vnum poſueras, & duos abſtuliſti. Rurſus petit quis à fratre ſuo veniam, vanitatis gratia, & gloriã inanem tantummodo quærens: Et inuenitur humilitas, vnà cum vana gloria: Hoc ſanè eſt, lapidem ponere, & illum ſimul auferre. Qui autem ex ſciẽtia, & cognitione veniam à fratre ſuo petit, & actum pœnitentię agit, ſeriò perſuadet ſibi erraſſe,

& certò credit, ſe fuiſſe cauſam, & authorem totius illius fraternæ controuerſiæ,& tumultus: Iſthuc reuera eſt, pœnitentię actum agere, & veniã petere cum ſcientia. Alius ſilentium exercet, ſed non ſcientia & cognitione: Habet enim tantùm in notitia,ſilentium eſſe virtutem,& ſe virtutis opus exercere: Huiuſmodi homo nihil agit. Qui verò ex cognitione & ſcientia id agit,arbitratur & credit ſe indignum prorſus,quòd loquatur: Et hoc eſt (iuxta patrum ſententiam) cum ſcientia ſilere. Alius præterea ſeipſum non metitur, nec in ſe deſcendit,ſed magnum quid agere ſe arbitratur,ac ſua magnificat;& tamen humiliare ſe ſe putat, atquè humilia ſectari: Et neſcit miſer ſe nihil penitus agere, cùm ſine ſcientia & cognitione id agat. Metiri autem ſe ipſum re vera, & cum ſcientia,eſt firmisſimè credere, ſe nihil eſſe, & nè quidem inter homines computari dignum. Quemadmodum aſſerere de ſe ipſo ſolebat Abbas Moſes,dicens, Sterquilinium & cinis cùm ſis teterrime,non homo,cur inter homines incedis? Rurſus miniſtrat quis ęgroto,ſed mercedis,& prę mij gratia miniſtrat: Et nè hoc quidem eſt cum ſcientia & cognitione;& propterea ſi quid illi moleſti, aut aduerſi contigerit, actutum à bono illo opere recedit, nec cœptum opus abſoluere contendit, nimirum, quia non ex ſcientia cœperat. Qui verò cognitione & ſcientia miniſtrat,propterea miniſtrat,quia miſericordem animi affectum posſidet,& viſcera miſericordiæ tenet: Qui enim huiuſmodi ſibi ſcopum ſtatuerit, ſi quicquam ad-

uerſi illi contigerit,ſi qua afflictio, aut calamitas extrinſeca euenerit, ab illo animi ſui propoſito non deturbabitur. Quin & ſi ægrotus illum contempſerit,ac maledictis inceſſerit, immotus ille, imperturbatusque permanet, atquè omnia patiẽtisſimè perfert,ſcopo illi ſuo, ac propoſito inhærens: Habet etiam pro compertisſimo, maiori ſe beneficio affici ab ægroto, quàm afficiatur ægrotus ab ipſo: Credit enim, & certisſimum habet, eum, qui cum ſcientia & cognitione Dei, ægroto libenter deſeruit, ac miniſtrat, ab impugnationibus dæmonum,& à vitioſis animi pasſionibus ſupra modum releuari,atquè defendi. Noui equidem fratrem quendam à turpiſsimo quodam laſciuiæ, & extremæ concupiſcentiæ ſpiritu acriter oppugnari; & quia cuidam fratri diſenteriæ morbo laboranti diligentisſimè, atquè humanisſimè ſeruiebat; propterea ab oppugnatione illa miſericorditer liberatum. Nec non Euagrius de magno quodam ſene dicit,quòd quidam ex fratribus, cùm vehementer noctu phantaſmatibus quibuſdam,& ſpectris territaretur; indicto illi ieiunio, & vt cuidam ægroto fratri miniſtraret; ſtatim ab huiuſmodi,eum,phantaſmatibus & ſpectris,mirabiliter liberauit: Cuius rei rationem quæſitus, Nulla alia, inquit, re, nulloque remedio,ac medicamine huiuſmodi vitioſæ pasſiones ita facilè extinguuntur, vt miſericordia in proximos, præſertim ægrotos. Rurſus exercet ſe quiſpiam in rebus monaſticis & diuinis; ſed propter inanem gloriam,ſciens tantùm virtutis actũ

exercere ; hic non ſecundum veram cognitionem & ſcientiam ſe exercet ; propterea incipit & fratrem contemnere, reputans ſeipſum aliquid eſſe. Hic autem, cùm vnum apponat lapidem; nô modò duos inuenitur auferre, verùm etiam periclitatur, nè totum parietem deijciat ; propterea quòd fratrem ſuum condemnet. Qui verò ex ſcientia in huiuſmodi continentiæ ac temperantiæ rebus ſe exercet, nollet, vt qui ſe in his ſpeculationibus diuinis exerceat, commendari, aut tanquam Monachus laudari, ſed certum habet in mente per huiuſmodi continentię opera, temperantiam, ſeu ſanitatem mentis acquiri perfacilè poſſe ; ex qua poſtmodum ad humilitatem perueniri queat: Vt omnium patrum vna eſt ſententia : Quia corporis labores ex cognitione, & ſcientia ſuſcepti, iter ad humilitatem acquirendam hominibus præbent. Deniqúe, vt compendio dicam, cuilibet virtuti ita ſollicitè , & ex animo incumbendum eſt, vt poſſeſſor eius omnino fias, & in habitum illius demum peruenias; ac gnarus artifex, peritusque ædificator tandem inueniaris, qui tutò, ac ſine periculo domum tuam conſtruere valeas. Quicunque igitur ad huiuſmodi ſtatum, cum Dei adiutorio, peruenire deſiderat, eum non oportet dicere, Magnæ, atquè ingentes, eoque difficiles ſunt virtutes, nec ad eas peruenire queo: Hoc enim hominis eſt, in Dei auxilium ſpem non habentis, & boni quippiam acquirere detrectantis, pigriterque, & ignauiter ad præclara opera ſe gerentis. Quoniam quamcumq; vultis eligere virtutem, ſi ſtrenuè

nuè nos ipſos exercuerimus, experimento comperietis, in noſtra eſſe poteſtate, rectè, & cum virtute agere, modò velimus, opitulante Deo, qui nunquam deeſt. Ecce ſcriptura dicit, Dilige proximum tuum, ſicut te ipſum. Noli animum conuertere, & conſiderare, quãtum à virtute ſis abſens, vt timere incipias, & dicere, Quo pacto meũ proximum diligere queo, vt meipſum? Quomodo afflictionum & ærumnarum illius anxius, ac ſollicitus eſſe poſſum, vt mearum, præſertim earum, quę corde teguntur, quas neque video, neque omnino cognoſco, vt meas? Nè te, quæſo, iſtiuſmodi immẽſam, atque adeò excelſam arbitreris virtutem, vt perdifficile ſit, aut impoſſibile illam aſſequi; ſed fretus auxilio diuino, incipe forti animo, & fide conſtanti erga Deum: Oſtende illi animi tui propoſitum, ac ſtudiũ; & adeſſe tibi proculdubio ſenties auxilium illius ad rectè agendum, & cum virtute. Et vt tibi quid exempli gratia dicam, Conſidera mihi duas ſcalas, Vnam quidem, quę ſurſum vehat ad cœlum; Alteram verò, quę deſcendere faciat deorſum ad inferos: Te autem conſiſtere puta in terra; nempè, in medio ſcalarum. Num ipſe tecum cogitares, & diceres, Quomodo euolare poſſum à terra, atque in apice huiuſce ſcalæ inueniri? Etenim hoc fieri non poteſt. Neque certè hoc abs te poſtulat Deus, nec talia requirit; ſed cauere prius, nè deorſum eas, & ad ima labaris; nè noceas, aut mali quicquam moliaris proximo tuo; nè illum verberes; nè obloquaris, nè contumelias, aut conuicia ingeras; nè contemnas, aut

nihilipendas eum. Atquè hoc modo ſenſim benefacere illi incipis, dum proximum & fratrem tuum ſermone curas, atquè mederis, & obſequeris; dum illi compateris, & eius incommodis afficeris; & ſi re aliqua indiget, elargiris, ac porrigis illi. Atquè hoc modo per ſingulos gradus aſcendens, tandem peruenies, auxiliante Deo, ad ſcalæ faſtigium. Propter hoc enim, quod ſenſim fratri tuo auxilium impendis, & adiuuas, ad id demum peruenies, vt commodum, & vtilitatem illius optes, non ſecus ac tuam. Et hoc eſt, Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Porrò ſi quæremus, proculdubio inueniemus: Si petemus, & obſecrabimus Deum, illuminabit nos. Dicit enim in Euangelio, Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Petite ait, vt precibus & orationibus aſſiduis flagitemus. Quærere autem eſt, perſcrutari, ac diligenter inquirere, quo pacto virtus ipſa ad nos veniat; quidnam ſit, quod eam afferat, aut quid agere debeamus, vt aſſequamur & poſſideamus eam. Hoc enim modo per ſingulas ſcrutari virtutes, eſt illud, Quærite, & inuenietis. Pulſare verò eſt, præcepta opere adimplere: Quicunque enim pulſat, manibus pulſat: Manus verò ad actionem aliquam peragendum ſumuntur. Debemus igitur non ſolùm petere, ſed etiam quærere, & facere, ſatagentes atquè operam dantes, vt (iuxta ſententiam Apoſtoli) ad omne opus bonum parati ſimus. Quid eſt autem, Parati ſimus? Cùm nauim quis ædificaturus eſt, primùm. qui-

dem

dem omnia, quæ ad nauem conſtruendam neceſſaria ſunt, præparat, vſquè ad picem, vſquè ad ſtupam, deniquè vſquè ad minimam feſtucam. Similiter & mulier, ſi erigere textrinam voluerit præparat neceſſaria omnia vſquè ad exiguos calamos, & vſquè ad litia, ac minutisſima fila. Et hoc eſt illud, Parati ſimus; nimirum, habere omnia, quæ ad rem pertinent prompta, atquè parata. Sic igitur, vt ſimus ad omne opus bonum parati, habentes omnem curam, diligentiam, præparationem, & ſtudium noſtrum ad faciendam Dei voluntatem, cum ſcientia, & cognitione, vt ipſemet vult, & ſuæ diuinæ placet maieſtati. Quid eſt autem, quod dicit Apoſtolus, Facere voluntatem Dei bonam, & beneplacitam, & perfectam? Omnia, quæcunque fiunt, vel eo permittente, vel ſecundum eius beneplacitum fiunt, vt ipſemet per prophetam dicit, Ego Dominus faciens lucem, & creans tenebras. Et iterum, Non eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Malum dicit omnia aduerſa, vt ſunt afflictiones, oppresſiones, calamitates, & anguſtiæ, fames, peſtilentiæ, ſiccitates, morbi, bella. Quæ omnia ad diſciplinam, & correctionem noſtram fiunt, non ſecundum beneplacitum Dei, ſed ſecundum permisſionem. Permittente enim Deo; inferuntur nobis, ad vtilitatem, & correctionem noſtram. Hæc igitur vult Deus, non tamen, vt nos concurramus, aut optemus ea, vult; vt exempli gratia, Voluntas Dei eſt ſecundum permisſionem, vt ciuitas deſtruatur: Nunquid, obſecro, voluntas

volũtas Dei eſt,vt ignem nos ſupponamus, & incẽdamus eam?vel vt ſecures ſuſcipiamus, & ſubuertamus illam,licet ſubuerti eam velit? Rurſus eſt permiſsio diuina,vt aliquis affligat, aut morbo crucietur:Num propterea vult Deus,vt nos illum affligamus,quia vult eum affligi?Et quia dicimus,Deum velle aliquem ægrotare, propterea nolit Deus, vt illius nos miſereamur, & opera miſericordię præſtemus? Iſthuc non vult Deus: Non vult enim Deus, vt huiuſcemodi voluntati eius nos ſeruiamus, ac miniſtremus. Vult Deus,nos eſſe bonos: non vt quicquid ipſe vult,nos ſtatim velimus.Sed q̃d vult,nos velle,& facere? Vult,vt nos velimus volũtatem eius, quæ ſecundum eius beneplacitum fit. Hoc autem eſt omne,quod mãdato & præcepto ſuo fit,Cuiuſmodi eſt,amare ſe mutuò, compati, & condolere inuicem, eleemoſynas facere,& id genus alia. En volũtas Dei bona. Quid autem eſt,& beneplacẽs? Neq; enim quicũq; bonum aliquod agit, prorſus illud & beneplacens eſt,& gratum. Quomodo autem id fiat,dicam; Accidit,vt puellam quis orphanam inueniat,inopem quidem,ac mendicam, ſed forma elegantem: Placet illa propter elegantem formam,ſuſcipit eam, nutrit vt orphanam. Ecce voluntas Dei eſt,& bona eſt, non tamen beneplacens,& grata. Beneplacita enim voluntas,& Deo grata eſt,quando miſericordia vtitur quis,& eleemoſynam facit,non propter humanam cogitationem,aut carnalem conſiderationem, ſed propter bonum aliquod,& honeſtum, propter miſericor-

diam,

diam,& condolentiam quandam naturalem:Hoc nimirum eſt beneplacitum Deo. Porrò perfecta voluntas eſt, quando aliquis eleemoſynam facit, non parcè,& cum auaritia,non deſidiosè,[aut per contemptum; ſed totis viribus, pro vt ſuppetunt facultates,tota animi intentione,& propoſito; & & ſic præbet,ut ipſe accipere videatur, ſic beneficium præſtat,vt beneficium ipſe ſuſcipere credat: Et tunc ſanè perfecta efficitur uoluntas. Atq; ad eum modum quis(iuxta Pauli ſententiam)uolũtatem facere reperitur bonam,beneplacitã, atq; perfectam. En hoc eſt,quod cum ſcientia,& cognitione uera fieri diximus. Vellet fortaſſe quiſpiã ex uobis noſſe,quanta ſit eleemoſynæ bonitas, & gratia: Magna profecto eſt, & quæ posſit (iuxta prophetæ ſententiam)peccata delere: Ait enim, Redemptio hominis,propriȩ diuitiæ ſunt. Et alibi rurſus dicit,Eleemoſynis redime peccata tua. Et ipſe etiam Dominus ait, Eſtote miſericordes, ſicut & pater ueſter cœleſtis miſericors eſt. Non dixit,Ieiunate, ſicut & pater ueſter cœleſtis ieiunat; non dixit,Eſtote inopes ac pauperes, quemadmodum pater ueſter cœleſtis inops & pauper eſt.Sed quid ait? Eſtote miſericordes, ſicut & pater ueſter cœleſtis miſericors eſt:Etenim ipſa uirtus miſericordiæ peculiari quodam modo Deum ipſum imitatur,& reprȩſentat.Oportetq́; (ut diximus)huic ſcopo animum intẽdere, atq; ex ſciẽtia & notitia opari,ac facere, ſi boni quid facias. Multa enim,& uaria eſt differentia in conſideratione eleemoſynȩ.Nam aliquando eleemoſynam

dat quiſpiam, vt ager eius & rus benedicatur: Et Deus quidem benedicit agrum illum. Alius verò eleemoſynam facit interdum, vt incolumis nauis eius conſiſtat in mari: Et Dominus quidem nauim illius ſeruat incolumen. Rurſus alius dat eleemoſynam pro liberis ſuis; & hos vtique Dominus ſeruat incolumes. Alius autem eleemoſynam facit, vt gloriam nanciſcatur; & huic Dominus Deus gloriam præbet. Et neminem quidem reijcit Deus, neminemque aſpernatur: Sed quod quiſquè optauerit, exhibet illi Deus; modò animæ illius hoc non noceat. Sed hi omnes receperunt mercedem ſuam: Nihil enim ſibi ipſis repoſuerunt apud Deum. Quandoquidem ſcopus eorum, quem ſibi præmiſerant, atquè animi intentio, non erat pro vtilitate vera, & animæ ſalute. Vt benediceret agros tuos, & rura, eleemoſynam feciſti, vtique Deus benedicit illa. Propter liberos tuos eleemoſynam feciſti, ſeruauit vtique illos incolumes Deus. Vt humanam gloriam conſequerere feciſti eleemoſynam, nimirum cõſequutus es. Quid igitur debet tibi Deus? Reddidit tibi mercedem, pro his, quæ feciſti, quã optabas. Eſt pręterea alius, qui dat eleemoſynam, vt liberetur à futuris cruciatibus: Ecce hic facit pro anima ſua. Hic agit ſecundum Deum, veruntamen non omnino, vt vult Deus agit: Adhuc enim in ſtatu & conditione ſeruili eſt hic; nã ſeruus non ſponte facit voluntatem Domini ſui, & volens, ſed timens nè verberetur. Similiter & hic eleemoſynã dat vt liberetur à futuris cruciati

bus:

bus: Et Dominus eum liberabit. Alius item facit eleemoſynam, vt mercedē ac pręmium accipiat: Hocquidem ſublimius eſt primo; ſed adhuc neq; hoc, vt vult Deus. Non dum enim eſt in ſtatu filiorum, ſed vt mercenarius non facit Domini ſui volūtatem, niſi quò mercedem accipiat, & lucretur; ſic iſte propter mercedem facit quicquid facit, & operatur. Tres enim ſunt ſtatus, ſeu animi affectus (vt Diuus ait Baſilius) quibus operari bona debemus, & virtutes exercere, de quibus aliàs dixiſſe me memini. Aut enim formidine pœnę, ac timore gehennę bona facimus; & ſumus in ſtatu, conditioneque ſeruili. Aut mercedis gratia, & vt pręmium capiamus; & ſumus in numero mercenariorum. Aut ſanè propter ipſum bonum; & ſumus in numero & ſtatu filiorum. Filius, enim nō facit volūtatē patris ob timorē, neq; vt ab eo mercedē, & pręmiū accipiat; ſed animo tātū obſequendi, & morē illi gerendi, volēs illū honore afficere, ac refocillare. Et nos igitur ſic eleemoſynā, & cętera opera miſericordię facere debemus, propter ipſum, ſcilicet, bonū, & honeſtū, compatientes, & cōdolentes nobis mutuò, vt membris proprijs; ſic obſequentes alicui, & curā eius gerentes, vt optaremus illū nobis obſeq. & ab eo curari; ſic deniq; largiētes alijs, tanquā reciperemus ab eis. Et hęc eſt miſericordia, & eleemoſyna, cū ſcientia, & vera cognitione, exhibita: Atq; hoc pacto in ſtatu filiorū (vt modò dicebā) facile inueniemur. Nemo autē dicere pōt, pauper & mendicus ſum ego; atq; vnde miſericordiam pręſtare poſſim, non habeo

penitus. Tametſi enim prꝙſtare non potes,ut hi, qui ſunt diuites,qui larga, ac magnifica dona ꝓij ciunt in gazophilatium;da duo minuta, ut uidua illa paupercula,& benisſimus Deus ſuſcipiet abs te illa prꝙ diuitũ donis.Nõ habes hæc? At uiribus polles,& habes unde ꝙgroto cuipiã ſeruiendo miſericordiã exhibere poteris. Fortaſsè nõ poteris & hoc? Poteris certè ſermone ac uerbis tuis hortari,& ſolari fratrẽ tuũ. Miſerere igĩt fratris tui cõſolatione quadã uerborũ;& audi dicẽtẽ,Verbũ bonum ſuper datum optimũ. Sed eſtò,non potes nè uerbo quidem miſericordiam facere.Nonnè ſi iratus frater tuus eſcanduerit in te poteris ei miſericordiam prꝙſtare,& ferre illum tempore turbationis& iracundiꝙ, uidens illum tentatum, & irritatum ab hoſte communi? Et cùm poſſes illi dicere aliquod uerbum,& magis eum irritare,atq; turbare; tace, & miſereberis animꝙ illius,eruens eum ab hoſtili manu. Rurſus poteris etiam,ſi peccauerit in te frater tuus, præſtare illi miſericordiam,parcendo illi, & condonando delictum, ut & tu ueniam ac remisſionem peccatorũ tuorum à Domino conſequaris: Ait enim Dimittite, & dimittetur uobis. Et inuenieris miſericordiã præſtaſſe animꝙ fratris tui,condonans ei,q. in te peccauerit.Nam elargius eſt nobis Deus facultatem remittendi nobis mutuò peccata. Vt ſi non habueris unde miſericordem affectum exhibere posſis corpori fratris tui; ſaltem exhibe animꝙ. Et quodnam maius,obſecro, genus miſericordiæ reperiri poteſt,quàm miſereri animꝙ? Quemad-

modum

modū enim pretioſior,atquè nobilior eſt anima, quàm corpus;ita maior,atquè excellētior eſt miſericordia,quę prętatur animę, quàm quę corpori exhibetur. Itaq; nemo poteſt dicere,Non habere ſe unde miſereatur fratris ſui. Quiſq; enim habet iuxta uires ſuas, & ſtatum, ſeu conditionem ſuam,unde miſericordiam præſtare posſit; modò operam dare uelit,ut quicquid boni agit, cū animi deiectione,& humilitate agat;ceu ſupra de ſingulis uirtutibus diximus. Diximus enim,eū,qui cum ſcientia operatur,expertum, atquè probatū eſſe artificem,qui domum ſuam tutò, ac citra periculum ędificat.De quo dicit Euangelium,Quòd prudenter ædificat domum ſuam ſuper petram, quam nihil aduerſi cōcutere,aut demoliri queat. Benignisſimus, ac clementisſimus Deus pro ſua bonitate,& clemētia det nobis,ut, quę dicta ſunt, corde audiamus; pręſtet etiam,ut quę audiuimus,opere proſequamur; nè ſermones huiuſmodi in die iudicij,fiant nobis ad iudicium, & condemnationem. Ipſi gloria in ſecula. Amen.

AD EVM, QVI ADMINISTRANDI PENV CVRAM HABET, ſeu cellariæ.

SERMO XV.

SI in iram relabi, & in recordationem malorum, ſeu iniuriarũ recidere non vis, nè nimium afficiaris rebus materialibus monaſterij; neque vas aliquod, etiam minimum, ac nullius pretij affectes, aut omnino vendices tibi. Sed ſi quid voluerit, aut petierit abs te frater aliquis, dato benignè. Et ſi quid per neglectum, aut fortè per inuerſionẽ fractum fuerit, aut perditum, nè angaris, nè crucieris, aut ſollicitudine quadã nimia premaris. Hoc autem facias, non vt contemptor vaſorum, & rerũ monaſterij, (nam totis viribus res monaſterij curare debes,) ſed vt teipſum ab omni perturbatione, & tumultu immunem, tranquillumq; conſerues. Oſtende Deo ſemper quicquid potes: Hoc autẽ rectè agere poteris, ſi adminiſtraueris res monaſterij, non vt proprias & peculiares, ſed vt Deo ſubiectas. Harum rerum profectò cura tantùm tibi credita eſt. Alterum quidem efficiet, nè nimiũ (vt dixi) rebus afficiaris. Alterum verò nè prorſus contemnas. Si verò hanc animi conſideratio-

nem,

nem,& ſcopum non habueris; nunquam à pertur bationibus,& anxietatibus quieſces, nequè alios quieſcere permittes.

INTERROGATIO.

CVM mens, & cogitatio mea hiſce tuis verbis plurimum afficiatur,& lætetur, ac ſummopere vellet habere,& eſſe quod dicis; Vnde,obſecro, eſt,quòd,cùm id agere volo,non inuenio?

RESPONSIO.

QVONIAM non ſemper ea meditaris:Nã ſi prompta ea ſuo tempore vis habere, continuè ea mediteris neceſſe eſt:Et in his perſeuera. Credo equidẽ Deo,& certũ habeo,te hoc modo profe ctũrũ.Orationem meditationi connectè: ægrotis curã exhibe diligẽtem.Primùm quidẽ,vt hoc modo miſericordem affectũ,& condolentiã acquiras, ceu ſæpe dixi: Deinde verò,vt, ſi fortè aliquando tu ægrotus lecto decubueris,excitet Deus aliquẽ, qui tibi deſeruiat,& pio animo miniſtret. In qua enim mẽſura menſi fueritis, remetietur & vobis. Porrò ſi pro viribus ſtudueris res tuas conſideratè agere,& cum conſcientia;ſcire debes, & pro cõpertiſſimo habere,te nõdũ verã, & qua ire dẽas, reperiſſe viã. Debes etiã aĩo imperturbato,ac ſine moleſtia,imo cũ gaudio ſuſcipere,qñ quicquã audieris,te nõ rectè feciſſe,ꝙ cõſideratè,& cũ cõſciẽtia feciſſe putaueras. Etenim cõſilio eorũ,qui te ſunt prudẽtiores, vel qđ mácũ eſt, & derelictũ, ac minus ꝑfectũ,corrigĩt atq; ꝑficĩt;vel qđ ꝑfectũ eſt,& probè actum,firmius fit, ac ſtabilius, & ſine periculo.Da operã,vt in via Dei proficias,& ſem-

per vlterius progrediaris; vt ſi qua tibi vel corporalis, vel ſpiritualis aduenerit afflictio, abſq; moleſtia, & ſine aliquo onere, ſeu faſtidio illam patientisſimè ſufferre queas. Si verò, quod neutiquã feceris, fecisſe te audieris; animo nè cõſterneris, neuè turberis omnino; ſed confeſtim veniam, cũ omni humilitate, pete, & pœnitentiam age, dicẽs, Ignoſce mihi frater, & ora pro me, ac ſilentium (iuxta patrum noſtrorum ſententiam) interim age. Quod ſi fortè percontabitur te, vtrum verum ſit illud, quod dictum de te fuerat, nec nè? Tũc poſtulata venia, ſumma cum humilitate, & demisſione, rem omnem, vt ſe habet, edicito, cum veritate. Quod vbi feceris, & rem ordine dixeris, pete iterum veniam, cum humilitate eadem repetens, Ignoſce mihi frater, & ora pro me.

INTERROGATIO.

QVID agam, cùm huiuſcemodi non ſentiam in me diſpoſitionem, atq; animi affectum; præſertim cùm fratres mihi occurrunt?

RESPONSIO.

HANC quidem animi diſpoſitionem & affectum, ſi nondum habere vales in occurſu fratrũ; at ſaltem interea dà operam, nè ſcandalizeris, & offendaris in aliquo; neuè prorſus iudices quenquam, aut obloquaris de quopiam: Nequè etiam omnino attendas, aut animum omnino aduertas, quid dicat, aut quid agat, aut quomodo ſe gerat, & moueat frater, qui te iuuare non posſit: Sed ſtude potius tè in omnibus componere, & ædificare poſſe. Neq; velis omnino glorioſus videri, & ina-

nem iactantiam appetere,coram fratribus,& contubernalibus tuis, dum loqueris, aut dum quicquam facis. In ſermone, & in modo viuendi, atquè adeò in cæteris rebus tuis vſquè ad exiguam, vtere libertate quadam bona,& religioſa : Nec te lateat,cùm aliquis oppugnatur, aut affligitur ab aliqua vitioſa paſſione & cogitatione;ſi ad actum illam perducit, & opere complet; paſſionem illã validiorem fieri, ac robuſtionem aduerſus eum : Ipſe enim inualeſcere eam facit contra ſe,& veluti vires quaſdam illi ſuggerit,vt magis eum oppugnet,& affligat.Rurſus verò ſi ille contra certauerit,& ſeſe illi cogitationi,& paſſioni vitioſæ oppoſuerit,ac pro viribus repugnauerit;debilitatur vitium illud,& cogitatio vitioſa;atquè ad oppugnãdum & affligendum eum deinceps impotens fit, & inualida. Atquè ad eum modum concertando, Deo adiuuante,vitium illud, & cogitationem ſenſim depellet,& tandem victor euadet.

INTERROGATIO.

CVR Abbas Paſtor, obſecro, dixit, Tria hæc eſſe præcipua,& quæ ſummam omnium ſpiritualium virtutum complectantur, nempè, Timere Deum,Diuinis precibus & orationibus inſiſtere, Proximo benefacere, ſeu miſericordiam illi præſtare?

RESPONSIO.

TIMERE Deum opus eſſe dicebat ſenex, propterea quòd timor Dei omnem virtutem præcedit.Principium enim ſapientiæ eſt timor Domini. Et nemo abſquè timore Dei rectè,ac proſperè

agit, nec virtutem conſequitur, aut bonum aliquod peragit: Cum timore verò Dei quiſq; declinat à malo. Precibus autem,& orationibus incũbendum eſſe dicebat, quoniam neq; virtutem, nequè boni quicquam vnquam posſidere, aut omnino perficere poterit homo (vt dixi) abſq; ope & auxilio diuino, etiam ſi per timorem Dei tantùm id aſſequi velit: Opus enim nobis eſt omnino,& noſtro ſtudio ac diligentia,& auxilio diuino. Itaque opus eſt homini quacunq; in re etiam minima,& obſecrare,& orare, atquè etiam implorare, & precibus fatigare Deum, vt in omnibus actionibus ſuis adiuuare eum velit,& opem ferre. Benefacere autem proximo,& miſericordiã præſtare, charitatis eſt; & amoris. Quoniam igitur qui timet Dominum,& qui preces ad Deum fundit, ſibi ſoli, videlicet, prodeſt: At charitas erga proximum, perfectionem omnium virtutum in ſe continet: Iccirco dixit ſenex, Proximo benefaciẽdum. Licet enim timeat quis Deum, licet precibus & orationibus diuinis aſsiduè incumbat; Vtilis tamen eſſe debet & proximo, ac illum afficere beneficijs: Hoc enim (vt dixi) charitatis eſt proprium, quæ (iuxta Pauli ſententiam) perfectio eſt omnium virtutum. Celebremus igitur Deum noſtrũ, ac glorioſa veneratione colamus eum, & laudibus cumulemus nunc,& ſemper, in ſecula ſeculorum.

Amen.

AD QVOSDAM MONACHOS

CELLIOTAS, IDEST, CELLAM frequentantes, qui, vtrum conuerſandum ſit cum fratribus ſuis, interrogabant.

SERMO XVI.

ASſerunt Patres ,& maiores noſtri, Sedere in cella , dimidium quoddam eſſe: Verſari autem cum patribus & ſenioribus ſuis,alterum eſſe dimidiũ. Hoc autẽ vult innuere ſermo,ꝙ in cella,& extra cellã, ſobrietate,modeſtia,ac vigilãtia pariter opus ſit, vt pernoſcamus, cur oporteat in cella quieſcere, & habitare ſecũ,& cur verſandum ſit cum ſenioribus ac fratribus ſuis. Etenim,ſi in hmõi cõſideratione ꝗs frequẽs & diligens fuerit;ea profectò ſtudioſè conabit̃ facere,quę patres & maiores noſtri dixerunt, Cum quis in cella morat̃, orationibus ac precationibus vacat,meditat̃,operibus manuũ parumper incumbit,nè penitus ſit otioſus;ſtudioſeq; & pro virili cogitationes ſuas ſcrutatur & curat:Cũ verò fortè alijs ſe adiungit,& cõuerſatur ; cõſiderat , perpẽdit,atq; adeo intuetur cõditionẽ & ſtatum ſuum,vtrũ ex cõuerſatione ſeu cõgreſſu & occurſu fratrum quicquam lucretur , & proficiat, an non : atquè etiam vtrum ſine damno aliquo & iactura reuertatur in cellam ſuam, nec nè. Et ſi quidem intelliget aliqua in re iacturam fe-

ciſſe,aut detrimentũ, & ſpirituale damnũ ſe paſſum;ſuam ipſius perdiſcet infirmitatẽ, & imbecil litatem propriã agnoſcet: Agnoſcet præterea,nihil adhuc lucri ex quiete cellæ feciſſe,nihilq́; peni tus aſſequutũ ex illo ſuo otio. Et ſic humilis & deiectus pęnitentiã agens,ac reſipiſcẽs, & lugẽs,nec non pro ſua infirmitate ac fragilitate Deũ rogãs, reuertetur in cellam ſuã: Atq; hoc pacto deinceps ſedebit,ſibi ipſi tantũ attendens. Deinde rurſus cũ exierit ad homines,& viderit ſe victum, vel in ijſdẽ,vt prius,vel in alijs; iterũ hoc modo reuertetur in cellã ſuam,& pęnitẽtiã aget, ac reſipiſcet, lugebit, & Deũ pro ſua conditione & ſtatu rogabit. Cella.n.attollit,ac ſurſum eleuat. Hominũ verò congreſſus nos probat,& quid ſumus oſtendit. Probè igitur dixerunt patres, & maiores noſtri, Sedere,ac cõmorari in cella quoddã eſſe dimidiũ; Cõuerſari autẽ vnà cum ſenioribus & fratribus ſuis,alterũ eſſe dimidiũ. Itaq; vos,cùm mutuò vobiſcũ verſamini, nequaquã ignorare debetis,cur è cella egreſſi eſtis. Cauete,obſecro,nè temerè & inconſideratè vnquam egrediamini: Quicunq́;.n. incõſideratè,& abſq; aliquo animi propoſito iter aggreditur,fruſtra laborat. Quiſq; igitur,cùm rẽ aliquã aggreditur; ſcopum aliquẽ præfigere eũ ſibi oportet; nec penitus ignorare debet,quid agere aggediatur. Quinã eſſe debet ſcopus,quẽ præfigere nobis oportet,cũ conuenimus in vnũ,& mutuò nobiſcum verſamur? Primùm quidẽ propter charitatẽ & mutuũ amorẽ cõuenire debemus: Dicitur.n. Vides fratrẽ tuũ, & vides Dñm Deũ tuũ.

Secundò

Secundò autẽ,vt verbũ Dei audiamus: Prorſus.n. cùm multi conueniunt in vnũ,ſermo Dei vt pluri mùm moueri ſolet: Et quod fortaſsè quis neſcit, ſæpenumerò aliũ interrogat. Tertiò verò,vt propriã conditionẽ & ſtatũ noſtrũ (quod ſæpè dixi) perdiſcamus.Exẽpli gratia,Finge aliqnem cũ cæteris fratribus,qui ibidẽ reperiũtur,ire comeſtũ: Hic probè ſeipſum agnoſcet,& videbit,cùm cibus aliquis fortaſsè lautus,& opiparus appoſitus fuerit,atq; illi placuerit;ſi ſe omnino,nè de eo ſumat cõtinere poterit: Aut ſi ſtuduerit fratrẽ ſuum defraudare,maioremq́;,ac meliorẽ,q̃ ille partẽ accipere;peiorem verò,ac minorẽ illi portionẽ relinquere. Interdum.n.haudquaquã erubeſcit aliquis manũ extendere,& minorem,atq; deteriorẽ portionẽ ante fratrẽ ſuũ detrudere, meliorem verò atq; maiorẽ ante ſe trahere. Quãtula,obſecro,eſt differentia inter maiorẽ, & minorem illã portionem? Quantulũ eſt interſtitiũ harum duarũ portionum?minimũ profectò,& admodũ tenue. Et in re tã vili,tamq́; exigua reperitur quis, qui fratrẽ ſuũ circumuenire ac defraudare velit,& peccare? Præterea mentẽ adhibet, atq; adeo intelligit, nũ ſe poterit à nimio cibo & potu continere; & ſi diuerſa fercula repererit,num ſeſe totũ(quod minimè decet) ingurgitauerit,& vſquè ad ſummũ expleuerit. Itidẽ agnoſcet,nũ ſe cohibere poterit, & linguã ſuã frenare ab inſolentia, & nimia libertate loquendi. Et ſi viderit fratrẽ ſuũ præ ſe honorari,ſibiq́; anteponi, nũ æquo animo tulerit. Si viderit etiã aliquẽ aliũ fratrẽ verbis inſolẽtibus,licẽ-

tioſisq́;,ac parum modeſtis, & immodicis vtentē aduerſus aliū fratrē;nū illi mentē adhibuerit, nū dijudicauerit illum,nō potius mētē ſuā adhibuerit,& attēderit alicui viro religioſiori, ac venerabiliori,feceritq́; & imitari ſtuduerit,ꝙ de B.Antonio Abbate dr̄: Qui,cū fratres aliquos inuiſeret, ſi quid quenquā illorum hr̄e cōſpiceret; id ſtatim tāquā florē eximium carpebat, recōdebatq́; in pectore; & ab hoc quidē manſuetudinē, ab illo autē profundā humilitatē,ab alio verò quietē & ſilentium decerpens, inueniebat ipſe vnus oīum in ſe dotes,& virtutes hr̄e. Ecce ad eum modum & nos agere debemus. Et harū rerum gratia cellā egredi,& cum alijs fratribus verſari,ac cōgredi nō minus vtile,q̄ laudabile fuerit. Cùm verò ad cellas noſtras reuerſi fuerimus, ꝑſcrutari, rimariq́; nos ipſos oportet,& diligēter intueri, quanā in re iacturā fecerimus,& in qua lucrum, vtrum plus lucri,q̄ dāni habuerimus. Et ſi in aliquibus nos ipſos q̄dē inuenerimus ꝓtectos, & adiutos; gratias Deo agere debemus,qui nos & ꝓtexit, & cōſeruauit illæſos:In q̄bus verò prolapſi deliq̄rimus;reſipiſcamus pœnitētiā agendo,lugeamus,lachrimis nos ipſos ꝑfundamus,& cōditionē ac ſtatum nr̄m defleamus. Quiſq;.n.ex ſuo ſtatu,& animi diſpoſitione lædit,aut iuuat: Qn̄quidē nemo læditur ab alio;ſed ſi lædimur,à noſtro ſtatu & animi diſpoſitione lædimur.Nā ſi volumus, proculdubio poſſumus quacunq́; in re & lædi, & emolumētum capere,atq; iuuari, & proficere. Et ſubijciā vobis huiuſce rei exēplū, vt ita,q̄d dicimus eſſe pernoſcatis,

tis.Cõtingere ſolet, vt aliq̃s nocte cõſiſtat in aliquo loco,ſeu angulo ciuitatis;nõ dico monachũ; ſed quẽlibet alium de ciuitate; accidit vt iuxta illũ ꝑtranſeãt viri tres; & Vnus quidẽ ex illis arbitrat̃ eum ꝓſtolari ſociũ aliquẽ, vt vna ſimul eant ad fornicandũ:Alter autẽ latronẽ,ſeu furẽ eſſe eũ ſuſpicat̃:Tertius verò exiſtimat,eum vocaſſe è vicina domo amicũ ſuum,& expectare illum,vt vna ſimul eant ad orationẽ.Ecce hi tres viri eundẽ hominẽ eodẽ in loco viderunt:Et tñ non eandẽ opinionẽ de eo habuerunt,neq; eandẽ cognitionẽ cogitauerunt;ſed aliud q̃dẽ primus,aliud ſecundus, aliud verò terti⁹ mẽte de eodẽ cõceperũt: Quiſq; nimirum pro animi ſui ſtatu,& mẽtis diſpoſitione arbitratus eſt. Quẽadmodum.n.corpora melãcholica mali ſunt humoris, ac ſucci, & q̃cquid in cibum ſumpſerint,in malum illud vertunt humorẽ,optimus licet fuerit cib⁹ ille; neq; tñ huius rei cauſa eſt cibus,ſed corporis diſtemperãtia, & prauæ cõplexionis mixtura:Corpus.n.malè complexum contraria operatur,iuxta temperaturæ & cõplexionis ſuæ prauitatẽ,ciborumq́; naturã immutat,atquè peruertit.Ita & anima prauè diſpoſita, maleq́; habituata, à quacunq; re læditur: Et quãuis optimus ſit,& vtilliſſimus cibus,illi tamen nocet. Finge tibi vas aliquod mellis hic poſitum, ſi quis modicum abſinthij proijciat in illud,non nè modicum illud abſinthij totum vas illud corrumpit,atquè contaminat, & totum reddit amarum? Ita & nos facimus,qui parum ex amaritudine noſtra proijcimus, & totũ proximi noſtri bonũ ob-

ſcuramus,

ſcuramus,ac demolimur,intuentes illũ iuxta pra uam noſtræ mentis diſpoſitionẽ, ac pro malo animi affectu,& aſſuetudine transmutãtes. Qui verò bonũ habẽt habitũ, bonãq; & diſpoſitionẽ animi & aſſuetudinẽ posſident;ſunt quẽadmodũ hi, qui bonũ habẽt corpus,beneq; cõplexũ,& boni humoris,& quicqd in cibũ capiunt,licet nocuũ ſit,& dãnoſum,illis tamẽ nõ nocet, ſed in humorẽ bonũ, ſecundũ bonã corporis tẽperaturã,vertitur:Quia bonũ(vt dixi)& bene tẽperatum,boniq; humoris posſident corpus,vt quicquid comedant,bene vertant,ac bene concoquant,& proſit. Et quẽadmodũ de primo illo dixi, quod pro mala corporis ſui diſpoſitione, & tẽperatura etiã bonũ cibũ vertit in malũ humorem; ita hic pro bona corporis ſui habitudine,& contẽperatura, etiã malũ & noxiũ cibum vertit in bonũ humorẽ. Cæterum, quò melius iſthuc intelligatis,ſubnectã exẽplũ: Sus quidem,cùm bonũ & tẽperatũ habeat corpus,ſucciq; plenũ,& humoris ualde boni;cuius cibus & nutrimentũ vt plurimùm eſt ſiliquaſtrũ,cornaq;, lutũ, glãdes,& palmarũ oſſa;quę tñ omnia propter bonũ corporis humorẽ,bonamq; contẽperaturã, in nutrimentũ bonũ conuertit. Eodẽ ſanè modo & nos,ſi probũ habuerimus mentis habitũ, probãq; animi diſpoſitionẽ,poterimus (vt ſæpe dictũ eſt) à qualibet re,etiã non bona,vtilẽ fructũ decerpere,atq; proficere. Vnde benè dicit in prouerbijs, Qui nimium videt,miſericordiã conſequutus eſt: Et alibi,Omnia cõtraria viro imprudẽti. Audiui equidẽ de quodã fratre,qui,cùm aliquẽ ex fratribus

bus conueniret,& cellã eius videret incõptam,im mundã,incompoſitã,dicebat ſecũ,ò felicẽ,ac beatũ hunc fratrem:En vt terrenarum rerũ omnium curã abiecit,& ſic totã ſuã mentem ſurſum ad cõtẽplationẽ rerum diuinarũ extulit. Quandoquidẽ neq; propriæ cellæ componendæ, atq; mundan dę curam aliquam gerit. Rurſus, ſi ad aliquẽ aliũ diuertiſſet,& cellam eius cõpoſitã,mundã, ornatã,excultamq́; videret,intra ſe dicebat, En vt defœcata eſt,& munda anima huius fratris:ſic enim munda eſt,& benè cõpoſita cella eius: Nã ad animæ ſuæ ſtatum & puritatẽ,cellã purgauit, & cõpoſuit.Neq; vnquam profectò de quoquã malè ſenſit;aut dixit, Hic incõpoſitus eſt,& ſordidus,atq; deſes;vel,Hic procax eſt,& vanus,ac garrulus:Nũquam de ore ſuo talia proceſſerunt; ſed ex bono, & præclaro mentis ſuæ ſtatu,benè,ac piè de oĩbus iudicabat;atq; hoc pacto de rebus omnibus lucrabatur,& proficiebat.Deus optimus maximus det nobis ſtatum mẽtis noſtræ optimũ, animũq́; probè,ac piè diſpoſitũ;vt posſimus & nos ex qualibet re proficere,atq; lucrari; & nunquam ſiniſtrè,aut perperã de proximo noſtro quicquã ſuſpicari,aut oĩno cogitare.Quòd ſi fortè aliquãdo ex mala mẽtis noſtræ peruerſæ diſpoſitione cogitauerimus, aut ſuſpicati fuerimus;actutũ mentis noſtrę cogitationẽ in melius cõuertamus: Si quidẽ proximi noſtri malitiã,& vitioſitatem nolle agnoſcere,mirã in nobis parit,cum Dei auxilio, bonitatẽ,qua Deus ſummopere placatur. Illi gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

AD EOS; QVI IN MONASTERIO PRAESVNT;

QVOMODO PRAEESSE fratribus oporteat;& quomodo ſubditi obedire debeant.

SERMO XVII.

SI fratrum fueris Præfectus, & rector,da operã,vt in rigiditate,ſeueritateq; cordis,& in viſceribus miſericordiæ,curã hanc exercere velis. Verbo,& opere, quæ agẽda ſunt,illos inſtrue,& doce , magis tamen opere , & exemplo : Quoniam exempla multo ſunt efficaciora,& opera longè magis mouent,quàm verba.Si viribus polles, & validus fueris corpore , operibus corporis illos informa , & inſtrue. Si verò debilis fueris , & imbecillis,inſtitue illos omni tua ſollicitudine & ſtudio, dotibus ac virtutibus animæ; atquè his ſpiritus Sancti fructibus eos accumula; qui ſunt ab Apoſtolo Paulo connumerati,nempè,charitate,gaudio,pace,longanimitate,conſtantia , bonitate, benignitate,fide,rectitudine,manſuetudine , temperantia , ſeu contra omnes vitioſos affectus continentia,& moderatione.In his autem,qui plerunque contingere ſolent,lapſibus & erroribus , nè nimium indigneris;ſed abſquè animi perturbatione illius erroris,

roris,& delicti deformitatẽ,& dãnum oſtende. Increpa quidẽ ſi opus fuerit, ſeruata tñ vtriuſq; pſonæ qualitate,& dignitate,& tpe oportuno. Noli verò in paruis erratis,minimiſq; delictis nimi" exactor,& ſeuerus indagator exiſtere,tanquam & tu nimium fueris iuſtus, & perfectus iuris interpres: Noli etiã frequẽter, & aſſiduè increpare,& & arguere: Hoc.n.graue admodum eſt & durum, & ex aſſiduitate vileſcit,minimeq; ſentit. Neq; ſuperbè, & cum imperio quodã præſis, & imperes; ſed cum animi hnmilitate & manſuetudine cõſulta cum fratre tuo: Huiuſcemodi.n.ſermo inſtructiuus,eſt exhortatiuus magis,atq; etiã ad perſuadendum,& ad ſedãdos animos efficacior. Tpe autem,quo turbatus frater reſiſtere tibi,ac repugnare audet;moderare,& cohibe linguam tuã, nè penitus quicquã proferat iràta: Neq; oĩno permittas cor tuum eſcandeſcere, & cõtra illum efferri; ſed memineris,fratrẽ tuum,& in Chriſto Ieſu mẽbrum eſſe,atq; Dei imaginẽ,ab hoſte quidem cõi irritatã. Icċirco miſericordia & benignitate erga eũ vti velis potius,q̃ indignatione & ira; nè fortè captiuũ eum diabolus agat ex vulnere furoris, & iracundiæ;atq; ex memoria iniuriarum, poſtmodum in interitũ,& mortẽ detrudat: & ex incuria noſtra,aĩa illa pereat, pro qua mortuus eſt Chriſtus. Memineris etiã te eidẽ iracundiæ iudicio ſubiacere,& ex ꝓpria infirmitate diſce, cõpati fratri tuo. Nec nõ gratias age,ꝙ ignoſcendi facultas ſit tibi exhibita; vt & tibi maiora ac grauiora à Deo poſtmodum remittantur, & condonentur.

Ait enim, Remittite, & remittetur nobis. Sed fortaſsè arbitrabere tua lenitate animi, & patiētia, læſurum iri, aut quicquam damni paſſurum eſſe fratrem tuū? At Apoſtolus præcipit, Bono malum ſuperandū, ac vincendum eſſe, non malo bonum. Maiores autē, & patres noſtri aſſerunt, Si quenquam ira percitus increpaueris, pasſionem propriam expleuiſti, & animi tui vitium notum feciſti: Quandoquidem nemo ſapiens, atq; cordatus, domum ſuam diruit, vt conſtruat domum proximi. Perturbatione autem illa, & iræ commotione perdurante, comprime cor tuum, & frena linguā; atquè hiſce verbis Deum precare, O Clementisſime & benignisſime Deus, amator animarum, qui immenſa tua, & ineffabili bonitate, cùm nondum eſſemus, vt eſſemus, nos feciſti in participatione tuorū bonorum; & cùm nos defeciſſemus, atquè à mandatis & præceptis tuis recesſiſſemus, reuocaſti, ac redemiſti nos pretioſo ſanguine vnigeniti Filij tui, Dei, & ſeruatoris noſtri. Obſecro te Domine, nunc adeſſe digneris imbecillitati & infirmitati noſtræ, increpa eam, vt quondam turbatū ac tumidum mare increpaſti, atq; ſedaſti; ita nūc corda noſtra turbata, & ira tumida ſedare, ac lenire digneris; nè duobus filijs, qui morte peccati premuntur, vna hora priueris: Et nè dicas nobis, Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Et tamen cauendum eſt, nè dicat nobis, Neſcio vos; propterea quòd lampades noſtræ extinctæ ſunt olei defectu. Et poſt hanc orationem ſedato corde, tranquillitate recepta, pote

ris conſequenter cum prudentia, & animi modeſtia, atquè humilitate, ſecundum Apoſtoli præceptum, arguere, increpare, obſecrare, & cum pio, ac miſericordi animi tui affectu, ſeu condolentia, vt membrum tuum, infirmū curare, dirigere, atq; corrigere: Tunc enim & frater correctionem tuā admittet, cum omnia fiducia, & perſuaſione certa facti pertæſus, ac duritiem ſuam improbans, atquè condemnans: Deniq; pace tua pacificabis, placabisq; cor fratris tui. Nihil itaq; te à ſancta illa pręceptione & doctrina Chriſti ſeparet, Diſcite à me, dicentis, quia mitis ſum, & humilis corde. In primis quidem habenda eſt cura, vt in pacifico mentis ſtatu & quieto ſimus; nè quouis etiā iuſto prætextu, vel quaſi mandati ac præcepti gratia cor noſtrum perturbari ſinamus; perſuaſi, firmiterque credentes, omnia mandata & pręcepta Dei ſtudiosè fieri & exerceri debere, vt charitatē & puritatem cordis adipiſcamur. Si hoc pacto fratrem noſtrum diſponemus, atquè tractabimus, abſquè dubio ea prophetica voce digni erimus, quæ dicit, Si ſeparaueris, & extraxeris ſanctum, ſeu mundum ab immundo & profano; tu os meū eris. Hactenus de præſidentia maiorum; hinc aggrediamur de obedientia ſubditorū. Si verò ſubditus fueris, & ſub obedientia prælatorum, nunquam cordi tuo credas: Nam occęcatis ab innumeris tuis affectionibus, & paſſionibus. Nihil aliquando abſquè maiorum tuorum conſultatione, iudicio, & notitia ſtatuas apud teipſum; neq; prorſus teipſum inſtituas. Noli vnquam putare, uel

cogitare;

cogitare, meliora, & rationabiliora, vel iuſtiora eſſe tua, quàm quæ facit, vel dicit, ac docet is, qui te inſtituit, & gubernat. Neque actionum illius fias cenſor, & indagator, ac nimium ſapiens expẽſor, & iudex: Deceptio enim eſt hęc, & dolus maligni diaboli ad impediendam, turbandamque certam & firmam ſalutem, quę nimirum ex ea obediẽtia prouenire, ac proficiſci ſolet. Tu verò ſubditus eſto in omnibus cum omni pace, & quiete; & ſic abſquè periculo, & errore viam patrum noſtrorum tenebis. Vim inferas tibi, & teipſum coge, vt in omnibus uoluntatem propriam abneges, & abſcindas: Et facta conſuetudine abrumpẽdi, per Chriſti gratiam, propriam uoluntatem, cũ in habitũ illius perueneris; ſine aliqua uiolentia, ſine faſtidio & moleſtia deinceps id efficies, ut prorſus tuusmet in omnibus ſis, ac tui iuris ſemper. Nequè enim optare uelis, ut res ad uotum tuum fiant, & ut ipſe uis; ſed ita ipſe uelis, ut res fiunt, & eueniunt: Atquè hoc modo cum omnibus pacem habebis, & in omnibus quiete frueris. Hęc autem ita fiant in his rebus, in quibus nulla eſſet tranſgreſſio præceptorum Dei, aut patrum, & maiorum noſtrorũ. In omnibus conare, & ſtude inuenire aliquid, vt teipſum ſemper accuſes, & reprehendas: Et nihil præfixum, ac decretum obſtinatè teneas in mente, & in ſenſu tuo. Firmiſſimè crede quæcunq; nobis, etiam minima, & viliſſima quæquè contingunt, ex prouidentia Dei fieri, & euenire. Proinde animo imperturbato iſthæc omnia perferre cõſtantiſſimè debes: Quin te credere

oportet,

oportet, antidota quædam eſſe, & pharmaca medicinalia cõtra animæ tuæ ſuperbiã, quicquid ignominiæ, infamiæ, opprobrij, quicquid deniq; contumeliæ, & iniuriæ tibi euenerit. Et pro conuiciantibus, proq; iniuriã inferentibus Deũ precare, non aliter, q̃ pro medicis; veriſsimè perſuaſus, eũ, qui contumeliã & ignominiã odio habet, odio quoq; & humilitatẽ habere; nec non eũ, qui irritantẽ, & iniuriã inferentem fugit, fugere quoq; & manſuetudinẽ. Quemadmodũ.n. is, qui probro & iniuria afficitur, ſi libenter pro Chriſti amore patitur, fit humilis; ita & qui irritatur, ac prouocatur, ſi patienter ſuffert, fit manſuetus & mitis. Noli cognoſcere, vel inquirere malũ proximi tui; neq; omnino ſuſpiciones aduerſus eũ admittas. Quòd ſi malignitate quorundã aliqua diſſeminantur, ſtude illa in meliorẽ intellectũ, honeſtioremq́; ſenſum, & cogitationẽ commutare. In omnibus gratias age, & poſside charitatẽ, & benignitatẽ. Ante oĩa verò conſcientiã noſtrã in omnibus ſeruemus, & cuſtodiamus oẽs, tùm in his, quæ ſunt ad Deũ, tùm etiã in his, quæ pertinent ad proximũ, aut ad res cæteras. Et priuſquã dicamus, aut agamus quicquam, diſquiramus, perſcrutemurq́;, an iuxta voluntatẽ Dei ſit. Et ſic, facta oratione, dicamus, vel faciamus, & proijciamus imbecillitatẽ, ac fragilitatẽ noſtram ante cõſpectũ Dei altiſsimi. Et bonitas, atquè benignitas clementiſsimi Dei aderit nobis in omnibus, & comitabitur, & opem feret. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

DE SANCTO IEIVNIO.

SERMO XVIII.

IN lege veteri præcepit Deus filijs Iſrael, vt ſingulis annis decimas illi offerrent ex omnibus, quæ poſſeſſuri eſſent: Et ita agentes benedicebantur in omnibus operibus ſuis. Hoc cū nō ignorarent Apoſtoli ſancti, ad noſtrarum auxilium, beneficiū, & tutelam animarum, longè maius, & excellentius illud nobis tradere, & quaſi per manus tranſmittere decreuerunt: nempè, vt hoſce vitæ noſtræ dies decimarem᷑, & ipſi Deo noſtro quaſi ſacrificaremus. Vt ſic & nos benedictionem in operibus, & actionibus noſtris conſequeremur, expiātes quot annis peccata, & delicta, quæ per integrum illum annum eſſent à nobis perpetrata, atquè commiſſa. Et facta inter ſe hac computatione, ſanctificarunt, & conſecrarunt nobis ex trecētis & ſexaginta quinq; vnius anni diebus, has ſeptē hebdomadas. Sed patres noſtri nouerunt & aliam hebdomadam illis adijciendam; tùm, vt nos ante ad ieiunij laborem exercerent, & quaſi viam adæquando, & complanando, præpararent; tùm etiam, vt ieiunium ipſum venerarentur, & anguſtius redderent numero ſanctę Quadrageſimę, quam integrā Dominus noſter Ieſus Chriſtus ieiunauit: Nam

hæ

hæ octo hebdomadæ,ſubductis Sabbatis,& Dominicis diebus,quadraginta dies efficiunt. Habito quoquè in ueneratione ieiunii ipſo Sabbato Sancto;cùm inter cætera ieiunia ex omnibus Sabbatis totius anni, Sabbati illius ſacratisſimum, atquè ſanctisſimum ſit ieiunium;atquè adeo ſolum ieiunium.

PORRO hæ ſeptem hebdomadæ, demptis Sabbatis,& Dominicis diebus, triginta quinquè dies explent;adiecto deinde ieiunio Sabbati Sancti,& ieiunio dimidiæ noctis lucidisſimæ,ac ſplendidisſimæ Dominicæ,triginta ſex dierum cum dimidio numerum efficiunt. Quæ quidem] decima portio eſt trecentorum ſexaginta quinque dierũ totius anni,ſi diligenter enumeres:Trecentorum enim dierum decima portio ſunt, triginta dies: Decima autem pars ſexaginta dierum, ſunt ſex dies:Decima verò portio quinque dierum, eſt dimidium.Ecce triginta ſex cum dimidio ſunt dies, vt iam diximus. Hæc eſt decimatio totius anni, quam nobis Apoſtoli Sancti in pœnitẽtiam, & ad purgationem, & expiationem omnium peccatorum vnius anni(vt iam ſupra dixi) conſecrarunt. Quiſquis igit, Fratres, honeſtè ſe, & vt decet,his ſacris, ſanctiſq; diebus cuſtodierit, proculdubio beatus erit.Etenim ſi,vt homini,contigerit ei peccare,vel ex infirmitate,& fragilitate, vel ex incuria,& negligẽtia,en ſacros hos dies exhibuit De⁹, vt ſi quis cum ieiunio,& cordis humilitate animę ſuæ ſalutem his diebus curare, & pęnitẽtiã agere, ac reſipiſcere ſtuduerit;mũdabitur, & expiabitur

ab omnibus peccatis, & erroribus ſuis toto illo anno cōmiſsis. Atquè ita purgata, & expiata anima, ab illo graui onere quieſcet, & ad ſanctū diē Paſchæ, ſeu Reſurrectionis, purè accedet, vt ſanctisſimorum illorum myſteriorum, indemnis, particeps fiat; nouus vtiq; homo factus per pœnitentiam huiuſmodi ſanctisſimorum ieiuniorum; & cum gaudio & lętitia ſpirituali lętus, ac iocundus feſtum diem ſanctisſimæ Pentecoſtes expectet. Eſt enim Pētecoſte, (vt quidā ait,) animæ reſurrectio: Cuius quidem rei ſymbolum, ſeu ſignum eſt, ꝙ per totam ſanctam Pentecoſten genua in Eccleſia non flectimus. Quicunque igitur à peccatis & erroribus totius anni emundari his diebus, atquè expiari deſiderat, primùm quidem cauere debet, nè ſe nimio cibo & potu, atquè eſcis citra delectum aſſumptis ingurgitet: Ciborum enim ingurgitatio, & eſca citra modum, atquè delectum aſſumpta, cauſa eſt hominibus (iuxta omnium ſanctorum patrum ſententiam) omnium malorum, ac vitiorum. Deinde cauere debet, nè citra ingentem, ſummâque neceſsitatem, ieiunium ſoluat: Nec quærat dulces & ſuaues cibos, lautasque dapes: Nè nimia ſe grauet cibi, & potus ſatietate. Duæ quippè ſunt gulæ differentiæ; Vna eſt, quando quis oppugnatur, & trahitur ad dulces & ſuaues cibos; nec multum edere ſemper optat, ſed ſuauia tantùm deſiderat, & opipera. Accidit interdum, vt hic cibum aliquem ſibi apprimè gratum comedat; atquè adeo ſuperetur à voluptate, vt cibum illum diu volutet, & mandendo, terendoque

doque teneat in ore ſuo, ac vix patiatur deglutire, ob nimiam, quam ex eo capit, voluptatem. Hæc lemargia dicitur, ideſt, gutturis, ſeu palati inſana voluptas. Altera gulæ differentia eſt, quæ ad ſatietatem ſe explere deſiderat, atquè contendit: Neque lautas & opiperas dapes quærit: Nequè curæ eſt illi de ſuaui, & voluptuoſo cibo: Sed ſiue bonę ſint eſcæ, ſiue malæ, nihil aliud quęrit, & appetit, niſi tantùm edere, ac ſaturari, & ventrem explere. Hæc dicitur gaſtrimargia, ideſt, inſana ventris ingluuies. Volo autem uobis horum nominum rationem, & cauſam edicere, atquè explicare, μαργαίνειν, apud Græcos, & eos qui ſunt extra, dicitur inſanire, ſeu furere: Hinc μάργος, vocatur inſanus & furens. Quando igitur fit alicui ægritudo, atquè inſania illa, vt ventrem immoderatius impleat; tunc dicitur γαστριμαργία, ideſt, inſana ventris ingluuies, & ſaturitas παρὰ τὸ μαργαίνειν, ὅ ἐστι μαίνεσθαι τὴν γαστέρα: Quod ventrem inſanire ſignificat. Quando autem fit circa ſolam voluptatē gutturis, ſiue palati, vocatur λαιμαργία, lemargia, ideſt, inſana voluptas gutturis. παρὰ τὸ μαργαίνειν τὸν λαιμὸν, ideſt, ab inſaniēdo gutture. Hæc itaque fugere, & cum omni ſobrietate, & diligentia euitare debet is, qui mundari à ſuis peccatis, & expiari cupit. Non enim ad neceſſitatem corporis, ſed ad voluptatem, & paſſionem ſunt hæc: Et qui ea tolerat, atquè in ſe regnare permittit, in peccatum, & perditionem ſuam tolerat. Porrò quemadmodum differt legitimè viuere cum vxore ſua, & fornicari: Quandoquidem

actio ipſa eſt eadem,intentio verò eſt,quæ rei differentiam oſtendit: Alter.n. vt filios procreet cũ vxore verſatur; Alter verò,vt ſuam ipſius expleat voluptatẽ.Pari modo,& in cibo, & potu inuenirę licet:Quandoquidẽ vna, eademq́; res eſt,& comedere pro neceſſitate viuendi,& comedere pro explenda gulæ ſuæ voluptate. Scopus autẽ,ſeu intentio ipſa eſt,quæ parit peccatũ.Edere autẽ pro neceſſitate viuendi, eſt quando modũ ſibi quis præfigit,quantum vnoquoq́; die cibi capere debeat; & ſecum conſiderat, ſi cibus quidẽ illi præfinitus, & aſſumptus eũ grauat,ac moleſtat, parũ ex eo aufert ac demit:Si verò grauatũ ſeſe,& læſum ex eo non ſentit,ſed parũ eſſe ad corporis neceſſitatem agnoſcit,& ſentit;modicũ iterũ, atq; iterum adijcit,donec fiat naturę neceſſitati ſatis:Hic rectè ac probè naturæ ſuæ neceſſitatẽ experitur & explorat. Igitur deinceps procedit ordine, & modo viuendi,ſibi à ſe præſtituto,atq; præfixo;non ad voluptatẽ quidem,aut gulã, ſed ad ſuſtentandas,reficiendasq́; corporis ſui vires. Et illud quidẽ ipſum quod ſibi ſumit quiſq; in cibũ,cum gratiarũ actione debet ſumere; atq; indignum ſe reputare huiuſmodi refectionis cõſolatione & ſolatio,in corde ſuo. Neq; attendere debet, & imitari, ſi quidã ob ſuam ipſorũ dignitatẽ,vel neceſſitatem, ſeruorũ ſibi miniſteria adhibent,& obſequia miniſtrantium, vt & ipſe ſe velit quieti menſarum diutius tradere,& indulgere ſibi. Nec vnquã perſuadere ſibi velit,huiuſcemodi menſarũ indulgentias, ſeu longas ſeſſiones diſcũbentiũ, aĩæ ſuæ parũ afferre

detri-

detrimenti. Cũ aliquando eſſem in Cœnobio, acceſſi ad quendã ſeniorem viſendi gratia: Aderant ibi cõplures ſenes, & viri graues: offendo etiam & eum fratrẽ, qui miniſtrabat & ſeruiebat illis, vnà ſecum comedẽtẽ: Aio ad eum ſecretò, Scis frater, hi ſenes, quos nunc edentes, ac conuiuantes intueris, habentes aliquantulũ famulatũ, & miniſtrantium obſequium, comparari poſſunt hominibus, qui cùm vacuũ haberẽt marſupium, tamdiu laborarunt, donec illud implerent; Quo concluſo, & obſignato, rurſus laborare, atq; operari cœperũt, & aliã ſibi ipſis nõ exiguã accumulauerũt pecuniã, quã tẽpore neceſſitatis vnde ꝓferre & erogare poſſent, haberent; vt quæ in marſupio eſſet, intacta permaneret, & ſeruaretur. Pari modo & hi venerandi ſenes, diu laborãdo, & ſanctis operibus incũbendo perſtiterunt, cumulantes ſibi ipſis theſauros ingentes; quibus cõcluſis & obſignatis, operati ſunt & alia quædã, quæ tempore ſenectutis, & ægritudinis cõmodò haberent & vſui; illa verò iã accumulata & obſignata ſeruarẽt. Nos autem miſeri, nequaquam adhuc crumenã poſſidemus; Vnde igitur erogabimus, & ꝓferemus? Qua propter etiã in his, quæ ad neceſſitatẽ acciperemus, & ſuppeditarentur, omni obſequio & famulatu etiã ipſa vita monaſtica, nos ipſos indigniſſimos arbitrari & exiſtimare deberemus: Nihilq; licẽtioſè, & abſq; timore Dei ſuſcipere decet. Sic.n. ea eſſẽt nobis in iudicium, & cõdemnationẽ. Et hactenus quidem de temperantia, & continentia ventris. Oportet autẽ nos, non ſolũ victus noſtri rationẽ

 habere,

habere, & quendam viuendi modum nobis præfigere; ſed ab omni quoq; peccato, & errore penitus abſtinere: vt ſicut ieiunamus ventre, ita quoq; ieiunemus & lingua; abſtinentes à verboſitate, & obloquutione, à cõuicijs & opprobrijs, à nugis & iocoſis verbis, à mendacio, ab ira, & furore, ab omni deniq; crimine, & genere delicti, quod à lingua procedit. Similiter ieiunandum eſt oculis, nè vana intueantur; nè huc atq; illuc vagi & curioſi diſcurrant; nè cui impudenter & inhoneſtè attendant, & dirigantur. Itidem & manus, & pedes cohercendi ſunt ab omni re, & opere nõ bono. Atq; ita ieiunandum eſt, (vt ait B. Baſilius) ieiuniũ acceptabile: abſtinentes nimirum nos, & cohibẽtes ab omni malignitate & vitio, quod per ſenſus noſtros operari, & exerceri queat. Necnon (vt iã dixi) noui, mundi, purgatiq;, atq; ab omni labe expiati, & digni participatione ſacrorum myſteriorum, ad ſanctum illum diẽ Reſurrectionis, vt decet, occurramus: Primùm exeuntes obuiam, & in occurſum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſuſcipientes eum cum palmis, & ramis oliuarum, ſedentẽ in pullo Aſini, atq; in ſanctam ciuitatem ingredientem. Quid quęſo ſibi velit, quòd Dominus noſter ſedet ſuper Aſini pullo? Super pullo quidem Dominus noſter ſedet, vt animam noſtram irrationabiliter agẽtem, ac proinde irrationabilibus animantibus (vt ait Propheta) & iumentis inſipiẽtibus ſimilem factam, conuerteret ad rationem, & conſiderationem Dei, & ſuæ diuinitati ſubijceret. Quid verò eſt, Proficiſci illi obuiam cum pal-

mis & ramis oliuarum? Quando quiſpiam ad bellum proficiſcitur contra ſuum aduerſarium,& potitus victoria poſtmodum regreditur; familiares ſui omnes,& amici occurrunt ei victori, cùm palmis, & ramis oliuarum: Nam palmæ victoriæ ſignum eſt.Rurſus iniuria cùm quis afficitur ab aliquo,& proficiſci vult ad quempiam, qui poſſet eũ ab iniuria vindicare & vlciſci;ramos geſtare ſolet oliuarum,clamans & petens, vt ſui miſereatur,& conſequatur auxilium:Oliua namq; miſericordię ſymbolum eſt.Propterea occuramus nos Chriſto Domino noſtro,cum palmis quidem, vt victori; Ipſe enim hoſtem & aduerſarium noſtrum vicit, ac profligauit pro nobis: Cum ramis verò oliuarum,vt miſericordiam ab eo petentes conſequamur: Vel vt quemadmodum ipſe aduerſariũ profligauit,ita & nos petitum auxilium ab eo, & miſericordiam conſequuti, profligemus; inueniamurq; illi victoriæ ſignum apportantes, non ſolũ propter victoriam,quam aſſequutus eſt ipſe pro nobis; ſed etiam propter eam, quam, auxiliante eo, conſequuti ſumus & nos, precibus, & orationibus omnium ſanctorum. Amen.

VARIAE,

VARIAE, BREVES, AC COMPENDIOSAE, SENTENTIAE.

SERMO XIX.

ABBAS Dorotheus frequẽter aſſerere ſolebat, Fieri omnino non poſſe, vt is, qui propriæ mentis, proprijq́; iudicij, ac ſui ſenſus eſt, & voluntatis; obedire maioribus ſuis vnquam poſſit; aut vtilitati & commodo proximi ſui adhærere, & aſſentiri.

RVRSVS dicebat, Cùm vitioſis affectibus, ac paſſionibus varijs dediti ſimus, & obnoxij; non debemus omnino mentis noſtræ iudicio fidẽ præſtare; nec conſilio cordis noſtri in omnibus credere. Curua enim regula, & obliqua, etiam quæ recta ſunt, inflectit, & intorquet.

RVRSVS aiebat, Qui non ſpreuerit omnia huius mundi, gloriam, & corporis quietem; adhuc autem & iuſtificationes omnes; non poterit ſuam ipſius propriam recidere & amputare voluntatẽ; nequè ab ira & triſtitia liberari; aut proximo, & fratri ſuo requiem præſtare.

DICEBAT idem rurſus, Non eſſe magnũ non iudicare, & compati afflicto, & ſubdito tibi: Sed magnum quidem eſſe, non iudicare, aut talionem non referre ei, qui propter vitioſum animi motum, & affectum proprium cõtradixerit, & repugnauerit tibi; nequè conſentire, ac conuenire

cum eo, qui iudicauerit illum;& collætari, ac con gratulari ei, qui tibi fuerit prælatus & antepoſitus. Hoc vtique magnum,& admirandum eſt.

IDEM præterea dicebat, Non eſſe repetendã à proximo charitatem: Nam qui eam repetit, turbatur poſtea, ſi non reſponderis, aut repẽderis ei. Sed oſtende potius proximo tuo charitatem,& tace: Atque hoc modo proximum tuum ad charitatem mutuam induces.

RVRSVS dicebat, Si quis bonum aliquod opus,& rem aliquam ſecundum Deũ fecerit; prorſus illi tentatio aliqua ſuperueniet: Quia bonum omne, & omnem præclaram & ſecundum Deum actionem, aut præcedat neceſſe eſt, aut ſequatur tentatio. Neque enim ratum & ſtabile erit quicquid ſecundum Deũ fit, niſi tentatione probetur.

IDEM præterea dicebat, Nihil adeò eſſe efficacius ad vnionem, concordiam, & mutuam amoris copulam conciliandam, vt iiſdem congaudere & eadem ſapere.

RVRSVS dicebat, Nullam proximi ſui gratiam, ac donum ſpernere, ex intima cordis humilitate procedere: Oportet enim cum gratiarũ actione illud ſuſcipere, etiam ſi minimum fuerit,& exiguum valdè.

ITIDEM aiebat, Ego, cùm mihi res aliqua contingit, libenter quidem cum proximo conſulto; maloq; eam iuxta proximi ſententiam fieri, quàm iuxta meam propriam; atq; ita fratris mei ſententiæ,& opinioni concordo, etiam ſi contraria fuerit: Viuere enim iuxta propriam ſenten-

tiam, & ſibi ipſi ſoli concordare, idem eſt, quod omnibus diſcordare.

RVRSVS aiebat, Optimũ eſſe in vnaquaq; re, modicum quid vtilitatis, & commodi ſibi ipſi ſtudioſè quærere, & affectare: Per omnia verò refocillari, recreariq́ue, atquè interquieſcere velle, non vtiq; prodeſſe cuiquam, & expedire.

ITEM dicebat, Quacunque in re, quæ euenire mihi ſolet, nunquam humana quadam prudentia diſcutere mecum quicquam volui: Sed pro mea virili, quicquid poſſum, efficio, reliquum omne Deo committo.

RVRSVS dicebat, Qui propriam non habet voluntatem, ſuam ipſius ſemper agit voluntatem: Ex quo enim propriæ abrenuntiauit voluntati; quicquid euenerit, quicquid denique fiet, requieſcere eum facit, & proculdubio reficit, ac refocillat eum. Et ſic propriam ſemper agere voluntatem comperitur: Quoniam non vult, res fieri ſecundum propriam voluntatem, ſed rebus ipſis (vt fiunt, atquè eueniunt) ſuam ipſius accommodat voluntatem.

IDEM aſſerebat, Non oportere eodem, quo peccat, tempore, fratrem arguere, & corrigere. Quin nullo vnquam tempore arguendus eſt frater vltionis gratia.

RVRSVS dicebat, Amorem, qui ſecundum Deum eſſet, longè potentiorem, & efficaciorem eſſe amore naturali.

IDEM rurſus aiebat, Non eſſe malum cum riſu perpetrandum: Nam euenire quãdoq; ſolet,

vt principio quidem ridens quis malũ agat; poſtmodum verò, etiam nolens, in ipſum deuoluatur, defigaturque.

DICEBAT rurſus, Non oportet quenquã à paſſionibus vitioſis liberari velle, ea mente, & conſilio, vt afflictiones illarum paſſionum effugiat, ſed odio potius earum, vt dicitur, Perfecto odio oderam illos.

RVRSVS aiebat, Impoſſibile eſſe, quenquã in proximum ſuum ira eſcandeſcere, niſi prius corde fuerit elatus aduerſus illum, & contempſerit eum, ſequè meliorem, ac præſtantiorem illo putauerit.

IDEM præterea dicebat, Signum potiſſimũ, & magnum indicium eſſe, libenter aliquem, ac ſponte malum quodpiam perpetraſſe, ſi, cùm arguitur, & corrigitur ab aliquo, turbetur, & iraſcatur. Ferre autem correctionem, & reprehenſionem abſquè ira turbulenta, & tumultu, indicium eſſe non leue, quòd, vel ignorans egerit malum illud, vel à paſſione victus, ac ſuperatus, non ſpontè.

EIVSDEM

EPISTOLA AD FRATREM QVENDAM,

QVI EVM INTERROGAVERAT de ſtupore, & inſenſibilitate animæ; necnon de tempore,& frigiditate charitatis.

AD inſenſibilitatem animę expellendã, Frater dilectiſsime, aſsiduè diuinarũ ſcripturarum lectiones multum profectò conferunt, poſt nocturnos ſanctorum patrum ſermones: Confert etiã terribilium iudiciorum Dei memoria, & egreſſus animæ à corpore recordatio; necnon horrendarum illarum poteſtatum occurſus,quarum cõſilio & ſuaſu aliquid ſceleris, dum in hac breui,& miſerabili degeret vita,commiſit.Multum prætere a valet recordatio,quòd ante tribunal illud incorruptum,& expaueſcendum Chriſti, pręſentanda,ſiſtendaq; ſit anima;& non ſolùm actionũ omnium ſuarum,verumetiam ſermonum, & cogitationum redditura ſit rationem ante conſpectum Dei,& omnium Angelorum eius; quin (vt breuiter dicam) in conſpectu omnium creaturarũ.Memineris autem ſemper, ac iugi meditatione animo tuo reuolue terribilis,atquè incorrupti illius iudicis ſententiam,quam his,qui à ſiniſtris erũt, pnũciaturus eſt; Diſcedite à me maledicti in ignẽ

ęter-

ęternũ, præparatũ diabolo,& angelis,aç miniſtris eius.Optimũ præterea fuerit, humanarũ afflictio num,ac tribulationum reminiſci ; Vt vel ſerò ſic dura,atq; inſenſibilis , & ſtupore oppreſſa anima illa tandem emolleſcat,& ad infœlicis ac miſera-bilis ſtatus ſui ſenſum,notitiamq́; perueniat. Por rò langueſcere,& imbecillũ,ac deſidem fieri circa proximi ſui charitatẽ,ex eo potisſimum proueni re ſolet,ꝙ cogitationes ſuſpicioſas in animum,& mentẽ tuam ingredi pateris;ꝙ ſenſui tuo,& iudi-cio cordis tui multum tribuis,tibiq́; nimium cre-dis;ꝙ nihil præter animi tui propoſitum perpeti velles. Itaq́; in primis adiutus à Deo,tibi ipſi mul tum credere ; ac cõfidere ſuſpicionibus tuis nullo penitus modo velis: Atq; omni ſtudio conare fra tribus tuis ſubijci,teq́; ipſum humiliare,ac volun tatem propriam coram illis amputare,& abnega re penitus. Si verò quiſquam illorum iniuria te affecerit,& opprobrijs,aut afflixerit te aliquo mo do ; ora pro illo & precare,non aliter , quàm pro eo,qui te beneficio affecerit, ac voluptatis & libi-dinis tuæ medicus fuerit. Hinc profectò ira & fu-ror tuus minuetur:Nã furoris & iræ frenum (iux ta patrũ noſtrorum ſententiam)charitas eſt. Ante omnia verò Deũ ipſum precare,& roga, vt det tibi modeſtiam,& ſobrietatem,necnon intellectũ & ſenſum intelligendi , cognoſcendiq; voluntatẽ ſuam bonam,beneplacitam,atquè perfectam:Pręſtet etiam vires perficiendi omne opus bonum in Chriſto Ieſu Domino noſtro:Cui gloria,& impe-rium in ſecula ſeculorum. Amen.

HONESTA MONACHI COMPOSITIO.

SERMO XX.

Honeſta, ac modeſta, Deoq;, & hominibus grata, monachi compoſitio, hęc eſt. Primùm oculos tuos cohibe, nè huc atquè illuc circūferantur; ſed quę ante te ſunt, tãtùm intueri, ac ſpectare uelint. Nequè uerba otioſa, uana, ridicula, ſeu ſcurrilia omnino loquare, ſed duntaxat neceſſaria. Veſtibus vtere, quę ad corporis neceſsitatem faciant, non ad luxum & pompam; & hæc permodica ſint. Cibi tui corpus nutriant, atq; ſuſtentēt; non prouocēt gulam: Nullum in eis diſcrimen, ſed de omnibus guſtare velis: Nequè hos, vt uiles, reijcias, illos, vt lautos, & opiparos ſumas; tequè ipſis ad vomitum ingurgites. Omnium quippe virtutum maxima, ac præſtantisſima eſt diſcretio. Vinum abſquè neceſsitatis cauſa, uel extra ſymbolum nè bibas. Altero loquente, caue ſermonem abrumpas. Reſponde vt ſapiens & cordatus, non vt rudis & ignarus. In dictis, & factis tuis, conſtans, & firmus eſto. Vbicunq; locorum fueris, obſequioſum miniſtrum, & famulum præſta te fratribus tuis. Caue nè aliquo præſente, membra tua detegas: Nequè corpus tuum corpori alieno penitus,

abſquè

abſquè manifeſta neceſſitate,admoueas; neq; omni nino permittas,alium appropinquare tibi. Fuge præſumptionis,& arrogantiæ vitium, vt interitū animæ. Cùm ſomno te traditurus es, & quieti,da operā,vt modeſtè,ſobriè, religioſeq; te geras; nè cuſtodem Angelum,qui circa te vigilat, offendas, & recedere cogas. Noli ante quenquam expuere, vel excreare: Quòd ſi te tuſſis,& pituita,cum ad-menſam ſedes,inuaſerit; verte faciē tuam retror ſum,& expue modeſtè.Inter edendū,& bibendum memineris,te ſeruum eſſe Dei,&,vt illos decet,co mede,& bibe. Nè impudenter,& irreligiosè ma-num tuam extēdas,vt quæ ſunt ante fratrem tuū, capias.Si tecum hoſpes diſcubuerit, ſemel & ite-rum tātùm inuita illum,vt comedat.In menſa re-ligiosè,& modeſtè,non diſſolutè,& cōfusè ſedeas. Vehementer licet æſtues & caleas, noli tamen ali quod membrorum tuorū denudare, & detegere. Inter oſcitandum,ſpiritum,& os comprime;& im petus ille ſtatim recedet abs te: Dedecet.n.mona chum,os patulum vnquā habere. Cùm præpoſiti tui,ſeu magiſtri, vel amici cuiuſquam cellam in-grederis, caue nè quicquam eorum, quæ ibi fue-rint,curiosè ſcruteris,aut intuearis: Quicunque enim impudenter in his,& curiosè ſe geſſerit,ha bitum & profeſſionem monaſticam mentitur, & Chriſtum,qui eam inſtituit. Moderatè,& ſine ſtre pitu aperi,& claude hoſtia cellę,vel tuę,vel fratris tui. Noli ex improuiſo repentè ingredi ad quen-quam; ſed pulſato hoſtio, cùm vocatus fueris, ingredere. Noli vnquam ſuperbo ac procaci

faſtu incedere,vel ſtudioſè, aut molliter. Omnibus,in omni opere bono, obtemperare memineris;ſecularibus tamen,& præſertim diuitibus,nimia familiaritate nè copuleris; nè diabolicũ fiat opus tuum. Benignè,ac manſuetè alloquare omnes. Et homines,ac fœminas intuere modeſtè, & religioſè contemplare; nè videaris faciem alicuius non cernere,ſed oculis haurire velle. Cùm ambulas in via,noli eos, qui maiores te natu,vel dignitate ſunt,præcedere,aut anteire: Quòd ſi tuũ erit præcedere,præſtolare parumper ſociũ; nequè velis multùm præcedere. Quicunq;.n.aliter fecerit, inſipiens & impudẽs reputabitur, ac porco ſimilis exlegi. Si contigerit, vt comes tuus alloquatur aliquem in via, expecta eum libenter;& nè illum properare vrgeas omninò. Sanus valetudinario,& ægroto ante tempus dicat,comedamus. Peccantem,& labentem aliquem, nè paſſim,& temerè reprehendas; præſertim cùm id muneris ad te minimè ſpectat:Sed te ſuſpectum ſemper habeto; quin lapſus illius te potius cauſam puta. Opera, & exercitia,vtcunq; ſint vilia,& abiecta,& aggredere libenter, & amplectere cum omni humilitate. Cùm ridendum eſt, caue nè in tuo riſu exeras dẽtes. Cùm opus fuerit cũ mulieribus loqui,auerte faciem tuam à conſpectu earũ, & ita loquere. Fuge mulieres impudicas,tanquã ignẽ, & laqueũ diaboli;& caue nè vnquam illis obuiam eas;nè alloquaris,aut intuearis illas omninò; nè fortè cor tuum luto paſsionum deturpetur; etiam ſi ſorores tibi fuerint, & ſanguine cõiunctæ,declina eas,

vt ignotas. Cognatis,& affinibus tuis nè nimium commiſcearis; neq; admodũ afficiaris erga illos; nè fortè cor tuum tepeſcat à charitate Dei. Adoleſcentulorum colloquia,& amicitias fuge,vt amicitiam diaboli. Vnicum habeto ſocium, Vnicum amicum,Deum;& qui Deum timet, & cum eo loquaris,& cõuerſeris. Et is in domo Dei inops ſit,& tenuis;in myſterijs autem diuinis, diues,& plenus.Secreta tua,& pugnas animi tui,actionesque tuas quaſlibet,ab omnibus abſconde; præterquã ab eo,quem tibi & ducem,& præceptorem ſelegiſti.Non facilè paſſim,& ante quoſlibet ſedeas,niſi compulſus.Cum modeſtia egredere ad neceſſarios vſus naturæ. Venerare cuſtodem tuum Angelum,in omnibus actionibus tuis.Quicquid agis, cum timore Dei agito;teq; ad orationem,meditationem,& cõtemplationem ſæpè compellito.Melius eſt tibi lethiferam æruginem comedere, quã edere cum muliere; etiã ſi mater, vel ſi ſoror tua fuerit.Præſtat cum ſerpẽtibus habitare, quàm cũ meretrice ſedere; etiam ſi ſoror tua fuerit ſecundũ carnẽ. Si inuitatus à ſuperioribus tuis fueris, in itinere,ad pſalendum,obtempera,nè recuſa.Si autem nihil dixerint,lingua tace;corde verò Deũ tuum lauda,& glorifica.Nè contendas omninò cũ aliquo dè re qualibet. Nec facias turbationes,& tumultus.Nè mentiaris.Nè iures in Dei nomine. Teipſum,non alium contemne. Teipſum,nõ aliũ affice iniuria.Longè melius eſt,& corpus tuum,& omnia corporea perire ſimul,ꝙ lædi animã tuã in re etiam minima. Noli cum aliquo in iudicio cõ-

tendere,ſed adiudicatus patientiam habe; etiam ſi huiuſmodi iudicium nõ ſis meritus. Nihil,quod priſtinum hominem redoleat,in te diligere,& fouere velis.

Superioribus,præfectis, & ducibus tuis ſubditus eſto;& nimiam illorum conſuetudinem deuita: Eſt enim laqueus quidam,qui deſides & vecordes in perditionem,& in interitum adducit.

O Guloſe,qui ingurgitare te cibis,& farcire vẽtrem ſtudes,melius tibi eſſet,prunas ignitas deuorare,& ollas,patellasq; deglutire, quàm ita ventrem tuum accuratè colere. Vtere erga omnes miſericordia,abſtractus ab omnibus.

Caue à multiloquio,hoc enim ſanctas,ac rationabiles,& à cœlo aduenientes cogitationes penitus extinguit.

Caue dogmatizare cũ prælatis, & alumnis Eccleſiæ,& cum alienigenis;præſertim in publico. Si videris aliquos inuicem altercantes, & verbis inter ſe contendentes,iraq; accenſos; pertranſi, nè cor tuum ira quoquè inuadat; & erroris tenebræ dominentur.

Cum ſuperbo nè conuerſeris; nè Spiritus ſancti virtus deſerat animam tuam: Et habitaculum fias prauæ,& immundæ paſſionis.

Si huiuſmodi præcepta cuſtodieris,ò homo,tequè ſyncerè,& abſquè vlla fictione exercueris in Dei meditatione; videbitur in anima tua, atquè micabit lumen Chriſti,quod in æternum non extinguetur. Ipſi gloria,& poteſtas in ſecula ſeculorum. Amen.

DE PLANCTV, HVMILITATE, ET quibuſdam alijs virtutibus.

SERMO XXI.

INTERROGATIO.

QVonam, obſecro, pacto ſeruare planctum, ac fletũ domeſticis inuolutus negotijs poſſum; præſertim cũ conſuetudinẽ habeam quotidianam cum hominibus huius ſeculi, & ægritudine fermè continua laborem? Et vtrum fletus ex lachrimis, an ex fletũ lachrimæ proueniant? RESPONSIO.

Non fletus per lachrimas; ſed per fletũ lachrimæ promanare ſolent. Quicunq;.n. propriã abſciderit, & amputauerit voluntatem, nec alienas culpas, errores, aut crimina animaduerterit; hic fletũ dubio procul poſſidet. Nã cogitationes eius in in vnũ conueniunt; quibus coeuntibus, ac in vnũ cõueniẽtibus, generatur triſtitia quædã, quæ ſecũdũ Deum eſt; hinc lachrimę ſubinde promanant.

INTERROGATIO.

Quid ignominię tolerantia confert ad quietẽ habendam? RESPONSIO.

Qui debitor eſt alicuius, quocunq; locorũ abierit, vbicunqueuè fuerit, donec debitũ reddiderit, debitor eſt; nec quiete ſedendi, aut manendi facultatẽ habebit. Quòd ſi forte ignominia ab hominibus afficiatur, vituperetúrq;, ꝙ debitum nõ ſol-

uerit,erubeſcit,& ſic debitũ tũc ſoluit: Atq; ita liber,& cũ fiducia, & audacia poterit vbicunq; voluerit,ſedere,& inter hoĩes verſari. Eodẽ modo,ſi quis patienter tulerit iniurias,ignominias,dãna, incõmodaq; propter peccata ſua tolerauerit;humilitatẽ addiſcet,& laborem, ſecundũ quod ſcriptũ eſt,Vide humilitatẽ meã,& laborẽ meũ, & dimitte vniuerſa delicta mea. Cogita, obſecro, & mente perluſtra eum,qui pro te Cruci affixus eſt; quot contumelias,quot iniurias,& probra; quot verbera,& ſputa pertulerit,Chriſtus,nimirũ,Dñs & Redemptor noſter; & poſt hæc omnia Crucem cõſcenderit. Proinde ſcias,neminẽ prorſus in requiẽ ſanctam, & perfectã peruenire poſſe, niſi cũ Chriſto,& propter Chriſtũ patiatur, & paſſiones, ac tribulationes eius perferat,iuxta ſentẽtiã Apoſtoli,Si cõpatimur,& cõglorificabimur. Noli itaq; errare,noli teipſum ſeducere: Non eſt profectò ſalutis via alia,præter hanc. Dñs autẽ,qui ferre oĩbus opẽ ſolet,det nobis vt ſupra petrã hãc,q. Chriſt⁹ eſt fundamẽta nrę domus firmiter,ac ſtabiliter iacere valeamus. INTERROGATIO.

Quænam,obſecro,expeditior eſt ad ſalutẽ via, per laborẽ,an per humilitatẽ? Dic quæſo Dñe mi, & de obliuione,de habitu, & de oculorũ cuſtodia.

RESPONSIO.

Citra humilitatẽ non eſt verus,& animę noſtrę vtilis labor: Labor.n.per ſe ipſum fruſtra fit,& ad nihilũ valet penitus. Propterea dicit,Vide humilitatẽ meã,& laborẽ meum,& dimitte vniuerſa delicta mea. Quicunq; igitꝰ hęc habet, quãprimũ ad

ſtatum

ſtatũ ſalutis pueniet. Similiter & q humilitatem poſſidet,cũ ſui,& oĩum rerũ cõtẽptu:Cõtẽptus.n. laboris locũ tenet. Qui erga ſeipſum humilitatẽ habet,ingreditur qdẽ ſalutis viã,ſed tardè.Quare qui verã humilitatẽ habere,ac poſſidere voluerit, nulla in re penitus blandiat ſibi ipſi,nec oĩno ſibi placeat: Hæc.n.verè eſt humilitas.Ignem accepit Dñs;& miſit in terrã.Obliuionẽ, & captiuitatem nõ admittit,qui ſenſum habet ignis.Subijciamus exẽplũ,Agit qs aĩam,& iã iã moritur: Apponat ei ignis,a&utũ ille dolorẽ ſentit, & excutit, vt põt. Et ſi captiuus qs fuerit quouis alio modo,inciderit verò in ipſum ignitus carbo;excutit,ac excitat a&utũ. Tu igit ſi liberari velis à captiuitate aĩam tuã; aliter nõ poteris,niſi ſpiritualẽ ignẽ tibi admoueris.Nã à calore illius,vniuerſa hęc oĩa diſparent,& euaneſcunt.Tũc aũt qs huiuſcemodi ignẽ poſſidet,cùm Deũ ipſum amat,& deſiderat. Bonũ eſt aũt monacho,pficere cupienti, nõ admodũ affici erga coætaneũ ſuũ: Solet.n.hmõi cõſuetudo, & longa amicorũ,& coætaneorũ familiaritas, fletũ,& feruẽs animi propoſitũ plerunq; extinguere.Quare is,q magis obeſſe ſolet,q̃ prodeſſe,oĩno nõ eſt diligẽdus,neq; appetendus. Nemo pfe&ò citra magnos labores, ac ſudores ad virtutẽ ipſã cõſcendere poſſe credat oĩno. Aſſueſce,oculos nõ circũferre ad alienas,& vanas res: Hoc.n.labores oẽs monaſticos deperire facit.Vnde ſi toto corde Dñm quæſieris,& te ſedulò exercueris,quãprimũ ad virtutẽ ipſam peruenies; Ait.n. Exercete vos, & dabit vobis Dominus hoc,vt intelligatis.

INTERROGATIO.

Quid, obſecro, agit cōtēptus, ad humilitatē acquirendā? Quid rurſus cordis cōtritio? Et ſi q̄s cōtēptū poſſideat, humiliādo ſeipſum in corde ſuo; q̄d opus eſt etiā ab hominibus probra, & cōtumelias exterius pati? Quid opus eſt præterea vilibus actionibus, & exercitijs? Et num humilis etiā humiles appetere actiones, & exercitia debet, atquè humiliter cogitare?

RESPONSIO.

Duobus modis contēptus paritur, & fit, à corde. ſ. & ab hominibus. Maior autē, & potior eſt, q̄ ab hominibus fit, q̄ qui à corde: Neq;. n. ita vehementer laborare, & angi nos facit, qui eſt à corde, vt qui eſt ab hoībus: Cor. n. in hoc admodū patit̄, & angit̄. Porrò ſua ſpōte ad vilia q̄q; exercitia currere, nō eſt admodū magni ꝑfect⁹; q̄n ēt fieri pōt, vt inanis & vana ſit gloria. At cū vile tibi aliq̄d, & cōtēptibile ꝑcipit̄, neq; repugnas tu, aut cōtradicis, ſed cū oī māſuetudine, & obediētia iuſſa capeſſis, & facis; tūc verè illud fit ad ꝑfectū: Atq; hoc eſt, verè ſui ipſi⁹ habere, & poſſidere cōtēptū. Cordis verò cōtritio eſt, cū vagari cor tuū nō ꝑmiſeris vanis, otioſis, atq; alienis cogitationibus. Humilitas autē eſt, cùm te nullius exiſtimas valoris, aut momenti; cū tuā ipſius voluntatē abnegas; & eā in oībus abrumpere oīno ſtudes, ita, vt oībus ſubditus ſis, & obediēs: & q̄cq̄d euenerit, cōſtāter feras, & intrepidè. Hæc eſt vera humilitas, in qua nullū penitus inanis gloria locū inuenire, aut occupare poterit. Gloria ſit Deo, & vnigenito filio ei⁹, vna cū ſancto ſpiritu, in ſecula ſeculorū. Amē.

VITA

VITA SANCTI DOSITHEI, QVI FVIT PRIMVS Diſcipulus D.P.Dorothei.

CVm ſolitariã vitã amplecti, exorato Deo, decreuiſſet verè B.Dorotheus ad Abbatis Seridi Cœnobium ſeceſſit. Vbi magnos quoſdam, ac complures reperit Monachos, cõtemplationi & quieti operam nauantes. Inter quos duo erant eximij, magni, & venerandi ſenes, beatiſsimus, ſcilicet, Barſanuphius, & eius diſcipulus, ſiue commilito, Abbas Ioãnes, qui propter gratiam, quam à Deo habebat futura præuidendi, cognominatus eſt Propheta. Quibus cùm ſe omni fiducia, & bonæ ſpei certitudine formãdum, regendumq; dediſſet; magnò quidem illi ſeni per S. Abbatem Seridum loquebatur; Patri verò Ioanni, cognomento Prophetæ, miniſtrare, ac deſeruire promeruit. Conſiderauerunt itaq; præfati ſancti ſeniores, ac communi ſentẽtia decreuerunt, valetudinarium, ſiue locũ, in quo ægroti decumberent, ac curarentur, ibidẽ conſtruere, & eius curam Dorotheo tradere: Mirũm.n.in modum coanguſtabantur fratres, & incommodis afficiebantur, cùm in aduerſam incurrerent valetudinem; quippè, qui neminem haberent, qui curã eorum gereret, & neceſſaria miniſtraret. Conſtruxeruntq;, Deo adiuuante, Valetudinariũ. Frater verò ipſius Dorothei Germanus

omnem

omnem impenſam ſuppeditabat:Erat.n.vir,Chriſti admodum amator,& ſingularis monachorum amicus.Porrò ipſe P.Dorotheus(vt dixi)vna cum alijs quibuſdam pijs,ac religioſis fratribus ægrotantium curam habebat: Illi.n.huiuſmodi adminiſtrationis demandata erat diſpenſatio: Itaque die quodam accerſiuit eum Abbas Seridus; qui, cùm ad eum veniſſet, iuuenem quendam reperit militari ſago indutum,delicatum valde,ac tenerrimum,vultuq; iocundiſſimum.Is autem tūc fortè venerat ad monaſterium vnà cum quibuſdam viris Abbatis familiaribus,qui ex Ducis erant palatio.Cùm igitur aduenisſet Dorotheus, ita cum Abbas Seridus alloquitur; Hi homines adduxerunt nobis iuuenem hunc, aſſerentes, eum velle nobiſcum hic manere in monaſterio. Ego autem vereor,nè fortè hic filius ſit alicuius viri Illuſtris, qui vel ſuffuratus ſit quippiam,vel malè quid egerit,& nunc quærit effugium.Nos verò magnis fortaſsè periculis, & tētationibus inuoluti, deluſiq; reperiemur: Nequè.n.aſpectus eius,& effigies eſt cuiuſquam,qui monaſticam profiteri vitā cupiat. Erat autem hic fortaſsè cuiuſpiam tribuni, ſeu præfecti militum filius, in multis delicijs enutritus:Semper.n.huiuſmodi hominum filij mollicie nimia flacceſcunt: Nunquam præterea verbum Dei audierat hic; ſed quidam ex familia præfecti militum, tantùm illi de ſancta ciuitate ſermoné fecerant. Ipſe verò ea loca nimio videndi deſiderio flagrare ſubinde cœpit.Itaq;,vt loca illa viſeret, inſtantiſsimè à præfecto militum petijt. Ille

autem

autem nolens eum mœrore angi, cùm inueniſſet germanum quendam ſibi amicum, qui eo profecturus erat, ita eum alloquitur, Gratificare, obſecro, mihi, & iuuenem hunc tecum adducito, vt loca illa ſancta conſpiciat. Tum verò ille ſuſceptum puerum tribuni militum, magno (vt par erat) honore habebat, ducebatq; eum commodè: Nã vna ſecum, & cum vxore ſua cibum ſumebat. Cùm igitur ad ſanctam ciuitatem perueniſſent, & ſupplices, proſtratiq; loca illa ſancta venerati eſſent, ꝓfecti ſunt Gethſemani. Fortè autem fortuna, depicta erat ibi damnatorum, ſeu cruciatuum infernalium hiſtoria. Cùm autem iuuenis ille cõſtitiſſet, & attentum animum ad ſpectaculum illud adhibuiſſet, obſtupuit; & attonitus videt mulierẽ quãdam, veneratione dignam, purpura indutã, propè eum aſtantem, quæ & hiſtoriam illam omnem, & ſingulos quoſq; damnatorum ei declarabat: Atq; alia quædam tanquam ex ſe monebát. Puer autẽ ille hæc cùm ab ea audiſſet, præ nimia admiratione, & extaſi penè reſpirare non poterat: Nunquã enim (vt paulo ante dixi) verbum audierat diuinum; neq; de vniuerſali futuro iudicio quicquam acceperat. Conuerſus itaq; ad eam dixit, Domina, q̃d, obſecro, facere debeat quiſquã, vt hos cruciatus euadat? Illa verò reſpondens, ait, Ieiuna fili, abſtine à carnibus, & iugiter orationibus, & p̃cationibus incumbe; & has pœnas, ac cruciatus euades. Cùm hæc tria illi præcepta dediſſet, iã amplius nõ apparuit, ſed inuiſibilis euaſit. Ex eo igitur tempore iuuenis ille compunctus permanſit;

& tria illa præcepta,quæ dederat ei mulier,ſedulò cuſtodiebat.Amicus verò tribuni militũ, cùm ieiunantem iuuenem,& à carnibus abſtinentem cõſpiceret,angebatur; dolebatq; propter tribunum ſeu præfectum militum, à quo ſummopere iuuenem diligi,non ignorabat.At milites,qui iuuenẽ huiuſmodi viuendi inſtitutum arripuiſſe videbãt, aiunt ad eum,Fili,quæ tu modò facis,non ſunt hominis, qui in hoc ſeculo degere cupiat: Si igitur iſthuc agere vis,perge ad monaſterium, & animã tuam ſeruabis.Ille verò,qui ſecundum Deum nihil penitus nouerat,nec dum quid eſſet monaſterium,omnino ſcierat; obſeruabat duntaxat mordicus,quæ audierat ab illa muliere. Deniq; ait illis iuuenis, Obſecro vos, perducite me quò melius noſtis: Ego.n.quò me conferam, neſcio penitus.Quidam autem ex illis (vt dixi) familiaritate noti erant Abbati Serido; profectiq; ſunt vna cũ puero illo ad monaſterium. Tum verò Abbas ad eum mittit B.Dorotheum, qui cũ eo loqueretur, & diligenter,ac curiosè illum inueſtigaret,examinaretq;. Ille autem nihil prorſus aliud dicere norat,quàm,Saluari volo. Reuerſus igitur B.Dorotheus Abbati refert,Si ſuſcipere eum cogitas pater,nihil omnino hæſites: Nihil.n.mali,nihil vitij iuuenis hic habet.Dicit ei Abbas,Tu igitur charitatem hãc expleas,& tecum illum aſſume, curãq; illius age,quo ſalutem animæ conſequatur.Nolo enim eum inter fratres cõmorari. Ille verò ſumma reuerentia,modeſtia præſtabat, deprecans,ac dicens,Supra ſtatum,& cõditionem meam eſt, Pa-

ter,

ter,huiuſmodi onus ſuſcipere:nam vires meas,& mediocritatem meam excedit iſthuc.Cui Abbas, Ego,inquit,& tuum onus,& illius geſto: Tu verò cur affligeris, & anxius es? Quoniam igitur hoc omnino decreuiſti,expone illud ſeni (ſi tibi videtur)& rem hanc illi communica. Bene,inquit ille,ego exponam ei.Pergit itaq;,& rem magno illi ſeni refert: Qui ſtatim reſpondit,ac ſignificauit, vt omnino eũ ille ſuſciperet: Per te enim,inquit, ſalutem à Deo conſequetur. Tum lætabundus eũ ille ſuſcepit,ſecumq́; habuit in valetudinario. Dicebatur autem Doſitheus nomen eius. Cùm autẽ edendi hora aduentaſſet,dicit ei Dorotheus, Comede,vt fias ſatur. Duntaxat mihi dicito,quantũ ederis. Venit igitur iuuenis,& dicit ei. Comedi panem cum dimidio: Erat autem panis quattuor librarum.Ait illi Dorotheus,Num benè te habes Doſithee?Reſpondit ille,Etiam domine benè habeo. Ait Dorotheus,Num eſuris fili?Nequaquam domine,inquit ille. Igitur ait Dorotheus,Comede panem vnum, & quartam alterius partẽ: Aliã verò quartam partem in duas partes diuidito, quorum alteram comede.Quod cum ille feciſſet, ait ei Dorotheus,Fameſcis nè Doſithee?Reſpondit,Etiam pater,fameſco modicum.Poſt non mul tos dies dicit ei Dorotheus,Quomodo,quomodo habes Doſithee?Num adhuc eſuris? Nequaquam pater,ſed precibus tuis bene habeo.Igitur,inquit ſubtrahe dimidiam illam quartæ partem. Quod cùm feciſſet, iterum ait ei Dorotheus poſt dies paucos,Quomodo nunc habes Doſithee?Nũ eſuris?

ris? Reſpondit, Bene pater habeo. Ait illi rurſus Dorotheus, Diuide quartam illam partem aliam in duas partes,& dimidium comede, alterum dimidium relinque. Qui, cùm ſimiliter feciſſet, Deo adiuuãte, ſenſim, ac minutatim, ex ſex illis panis libris, quas primò comederat, ad octo demũ vncias deuenit: Etenim vel in edendi ratione multũ valet aſſuetudo. Erat autẽ iuuenis ille mitiſſimus atquè humaniſſimus,& ad omne opus, quod agebat moderatiſſimus. Miniſtrabat autem ægrotis in valetudinario, & ſingulos quoſq; humili ſuo obſequio refocillabat: Omnia.n.mundè, pureque agebat. Si verò quandoq; contigiſſet, vt erga quẽquam ægrotum negligentia vteretur, aut peragere quicquam omitteret, vel ſubiratus verbum aliquod proferret, dimiſſis omnibus, cellulam ingrediebatur flens & eiulans. Cumq; ingrederentur alij miniſtri illius valetudinarij, vt conſolarentur eum,& hortarentur, nullam ipſe conſolationem admittere penitus volebat. Vnde cogebantur B. adire Dorotheum,& illi dicere, Quære pater,& diſce, quid hic frater habeat, quod tãtopere lugeat, & charitatis opus exerce. Ingrediebatur itaq; pater Dorotheus,& humi eum iacentem; ac proſtratum, miſereq; lugentem inueniebat, & lachrimis ſuffuſum. Ad quem pater, Quid eſt fili Doſithee, quid habes? Cur tantopere fles? Cui ille, Ignoſce mihi pater, quia ira percitus frattem meũ perperam,& non humaniter alloquutus ſum. Ait Dorotheus, Atqui Doſithee iraſceris? nec iratus erubeſcis, præſertim cùm fratrem tuum perperam alloquaris,

quaris,& proteruè? An ignoras,eum eſſe Chriſtū? Chriſtum igitur affligere,atq; infeſtare vis? Tum ille,demiſſo vultu, flebat amarè, nihil penitus loquens. Cæterum cùm ſatis abundè fleuiſſe eum videret,ait illi poſtmodum Dorotheus, Ignoſcet tibi Deus: Surge,& iam hinc denuo ſumamus initium,& nobis poſt hac caueamus: Demusq; operā ne quenquam mœrore afficiamus: Et Deus nobis opem feret. Statim ille, cùm hæc audiſſet, excitatus ſurrexit, ac lætus ad ſuum miniſterium curſu perrexit,ac ſi reuera tunc à Deo veniam & miſericordiā percepiſſet. Cùm igitur miniſtri illi,qui in eo valetudinario vna ſimul deſeruiebant, mores eius agnouiſſent,vbi lugentem eum cōſpexiſſent,actutum dicebant,Quidnā habet Doſitheus? Quid erroris commiſit? Et aiebant B.Dorotheo, Pater,habes in cęlla,quod opereris,& facias. Cùm igitur ingrederetur,& eum humi iacentem,ac flētem inueniebat,ſtatim aliquod verbum ab eo malè prolatum putabat: Dicebatque ei, Quid rei eſt Doſithee? Denuo fortaſsè Chriſtum afflixiſti,ac mœrore affeciſti? Rurſus correptus es? Non te pudet? Te tandem non corrigis? Atque ita diu ille flendo,ac plorando perſtabat. Rurſus vbi iam expletum illum, atquè lachrimis exaturatum videbat,& luctu; Surge dicebat; parcet tibi iam Deus. Rurſus incipe. Corrige poſt hac,& emenda te ipſum. Ille verò actutum ſumma fiducia luctum ac mœrorem excutiebat, & ad opus ſuum lætus reuertebatur. Aegrotis lectulos accommodè ſternebat. Porrò multum hic erat ingenuus & liber ad

ta tion es ſuas patri ſuo proferendas, ita ſępenumero cùm pulchrè & eleganter ægrotantiũ lectulos ſtrauiſſet, forteq; illac pertranſiret B. Dorotheus, ſtatim ille dicebat, Pater, pater, cogitatio mentis meæ mihi dicit, pulchrè & eleganter lectulos ſternis. Cui B. aiebat Dorotheus, Pape Fili, Ecce bonus effectus es ſeruus, euaſiſti etiam aulicus miniſter, & elegantulus, non tamẽ bonus, ac probus effectus es monachus. Nunquam autem ſinebat illũ improbè affici alicui rei, aut ſenſibili cuilibet materiæ. Omnia verò ille læto animo ſuſcipiebat, & cum fiducia. Ad omnia promptus obtẽperabat. Si quãdo veſte aliqua illi opus fuiſſet, dabat̃ ei, & ſumma ille alacritate, ac ſtudio ſibi ſuebat. Interpellabatq; eum nõnunquã Dorotheus, dicens, Suſtinè Doſithee palliolum illud? Reſpondebat ille, Etiam pater, ingenti ſtudio, ac ſumma elegantia confeci. Tum Beatus Dorotheus, Da, aiebat, huiuſmodi palliũ huic fratri, aut illi ægroto, & abibat, Ille verò ſumma animi promptitudine dabat. Rurſus aliud illi ſuendum dabat palliũ, quod pari ſtudio, & animi promptitudine ſuebat. Tum illi B. Dorotheus aiebat, Da pallium illud huic fratri, ac protinus ille dabat, & nunquam de hac re contriſtabatur, nunquam viſus eſt obmurmurare, & dicere, Vbi veſtimentum mihi aliquid ſummo labore ac ſtudio cõficio, ſtatim à me illud aufertur, & datur alijs. Sed quicquid boni vnquã audiebat, aut illi pręcipiebatur, mira animi promptitudine & alacritate faciebat. Alio quodam tẽpore quidam apocriſarius, ſeu legatus, attulit cul

trum

trum valde pulchrum, & affabrè factum, quem cũ accepiſſet Doſitheus attulit ad Patrẽ Dorotheũ, dicẽs, Frater ille hunc attulit cultrum, quem ego accepi, vt, ſi iuſſeris, habeamus illum in vſum valetudinarij; optimè enim incidit panes. Porrò nũquam ille ad vſum Valetudinarij quicquam habuit, quod citra quàm deceret, fuiſſet pulchrũ aut venuſtum. Ait igitur illi B. Dorotheus, Affer huc illum, vt videam vtrum ſit pulcher, & affabrè factus. Quem cùm attuliſſet, & dediſſet, dicens, certe pater pulcher eſt, & ad vſum noſtrum accommodus valdè. Ille verò cùm vidiſſet verè pulchrũ eſſe, nec vellet, eum affectum eſſe cuiquam rei materiali, & viſibili, noluit vt eum, quem tantopere affectabat, teneret. Itaq; ait illi, Hic placet nè tibi Doſithee? Viſnè fieri huius gladioli ſeruus, an ſeruus Chriſti? Etiam Doſithee perplacet tibi gladiolus. Alligatus es affectu nimio huic gladiolo. Nec erubeſcis appetere, & velle, vt gladiolus hic dominetur tibi, & non Deus potius? Ille verò obmutuit. Nec quicquam hiſcere auſus eſt. Sed demiſſo vultu tacebat. Nouiſſimè verò vbi diu illũ increpando perſtitiſſet, Vade, inquit, & depone cultrum, & nè illũ tetigeris. Qui vſqueadeo poſt modum illum tangere cauit, vt ne quidem alicui exhibere fuerit auſus. Sed cùm cæteri miniſtri eo vterentur, ipſe ſolus non modò non attingebat, ſed nè propè quidem accedere volebat. Nec vnquã dixit, Cur ego cæteris vt minor eximor atq; ſecernor? Sed quicquid audiebat, quicquid illi dicebatur, aut iniungebatur, alacri animo, & læto

R vultu

vultu perficiebat. Ad hunc igitur modum tamdiu perſeuerauit, quandiu vixit in monaſterio, non longo ſcilicet tẽpore. Vixit enim circiter annos quinq;, & ſub obedientiæ mortuus eſt iugo. Nunquam voluntatem propriam in re aliqua fecit. Nunquam ſecũdum affectum proprium ſeu paſſionem, aliquid peregit. Quando verò langueſcere & ægrotare cœpit, ac ſanguinem ſpuere (tabifico enim morbo extinctus eſt) audiuit à quodam, oua ſorbilia multum cõferre, ac prodeſſe his, qui ſanguinem excreant. Nouerat autẽ hoc & B. Dorotheus. Pergratum enim & periocũdum erat ei, medelam aliquam, aut remedium ægritudini illius adhibere. Sed præ nimia ſolicitudinis, anxietatisq;, & mœroris diſtenſione, in mentem illi nõ venerat. Proinde ait illi Doſitheus, Pater vellem tibi dicere de re quadam, quam mihi admodum profuturam audiui. Sed nollem mihi eam concederes, nequè impertires omnino, quoniã me admodum huiuſce rei cogitatio infeſtat. Ait illi Dorotheus, Dic mihi Doſithee, Dic mihi quæſo, quænam ſit res illa. Ait Doſitheus, ſponde mihi non daturum illam; quandoquidem (vt dixi) illius rei cogitatio me infeſtat. Cui Dorotheus probè inquit faciam vt dicis. Quid nam vis? Audiui inquit ille à quibuſdam, quòd oua ſorbilia multum his, qui ſanguinem expuunt, conferãt. Sed te per Deũ obſecro, cùm non tu præueneris, vt dares mihi, noli amplius exhibere propter animi mei cogitationem. Ait illi B. Dorotheus, quoniam non vis, non dabo tibi, nè affligaris. Studebat autẽ Dorotheus

exhibere

exhibere illi,pro ouis, alia quædam vtilia, atquè illi morbo proficua; quandoquidem ipſe dixerat turbari in ouorum cogitatione. Ecce cùm in tam lethiferi morbi eſſet agitatione,conabatur tamẽ, & virili certamine pugnabat,propriam abrumpere voluntatem.Habebat enim Dei ſui iugem memoriam.Nam ei totum ſe mancipauerat,dediderat4; iugiter dicendo,Domine Ieſu Chriſte miſerere mei. Interdum verò, fili Dei,aiebat, adiuua me.Huiuſcemodi quidem orationem ſemper ore ſuo voluebat.Cùm verò ita languidus eſſet, & imbecillis,vt vlterius progredi penitus nequiret,Dicebat B.Dorotheus,Doſithee meditare, ac contẽplare,& curæ tibi ſit oratio.Caue ne illam remittas.Ille autem reſpondebat,bene,Pater, Ora pro me.Rurſus cùm ſubingraueſceret morbus,ait illi Dorotheus,Quid eſt Doſithee? Quomodo ſe habet oratio? Adhuc perſtat nè, an ceſſat? Cui ille, etiam pater,ſed tuis precibus. Vbi verò magis ac magis ingraueſcere cœpit morbus, & imbecillitas,ita vt in ſyndone geſtaretur,Ait illi, Quomodo Oratio Doſithee? Tunc ille ait, Ignoſce mihi pater,iam amplius incumbere illi nequeo.Ait illi Dorotheus,igitur dimitte eam, & ab oratione ceſſa.Veruntamen Dei memoria nunquam abſcedat abs te. Cogita illum ſemper adeſſe, teque illius conſpectui ſemper aſſiſtere.laborabat autem nimium, & ſignificauit magno illi ſeni Barſanuphio,dicens, Dimitte me, quoniam iam vlterius nequeo. Ait illi ſenex,ſuſtine, & expecta paululũ fili.Propè enim eſt Dei miſeratio. B. verò Doro-

R 2 theus

theus intuebatur eum laborantem; & anxius, ac ſollicitus erat nè aliquod nocumentum pateretur. Rurſus poſt aliquot dies ait ſeni, Domine iã amplius nequeo penitus. Tũ ſenex, Vade inquit, in pace Fili, & te Sanctæ Trinitati præſenta, necnon precare pro nobis. Huiuſmodi ſenis reſponſum, cùm fratres audiſſent, contriſtari atquè indignari cœperunt, & dicere. Quid demum fecit hic? Quodnam obſecro fuit opus illius, vt huiuſcemodi verba audire mereretur à ſene? Etenim non viderant illum hi fratres biduana ieiunia peragentem, quemadmodum & ij, qui erant ibi. Vel ante conſuetas vigilias ſurgentem, ac vigilantem. Sed neque ad ipſas vigilias, niſi poſt duos hymnos, ſurgebat. Neque etiam viderant ipſum aliquod ſpirituale exercitium, ſeu mentalem exercitationem facientem. Sed viderant eum duntaxat parum iuſculi capientem, quod reliquum fecerant ægroti. Et ſi qua piſciculorum capita ipſi quoq; reliquerant ægroti, aut aliquid eiuſmodi comedentem. Erant enim ibi (vt dixi) quidã fratres, qui biduo ieiunabant, idquè longo tempore, & duplices vigilias vigilabant. Exercebantq; ſe in mentalibus ac monaſticis exercitijs. Vt igitur audierunt illi huiuſmodi ſenis reſpõſum iuueni datum, qui vix quintum peregerat anuum in monaſterio, cõturbabantur, ignorantes exercitationem, & profundam, atq; indiſcuſſam in omnibus rebus obedientiam illius. Quandoquidèm nunquam vel ſemel voluntatem propriam expleuit. Nam ſi contigiſſet aliquando, vt B. Dorotheus diceret illi verbũ

tanquam

tanquam deridens eum, vel taxans, protinus ille accurrens cum feſtinatione abibat, & abſq; vlla di ſcuſſione, quicquid dicebatur, peragebat. Et vt exempli gratia quid dicã. Sic à principio tanquã ex conſuetudine duriuſculè alloquebatur eum B. Dorotheus. Itaq; ſemel veluti perſtringens eum ait illi. Opus eſt phiala Doſithee, Vade igitur accipe eam. At ille audito eo, abijt, & affert phialam vino plenam, & panem, & tradidit illi tãquam benedictionem accepturus. Ille verò cùm ignoraret quid vellet, vertitur ad eũ, ceu peregrinus & ignotus, & quid vellet interrogat? Doſitheus autem reſpondit ei, Iuſſiſti pater, vt phialam afferrem, Da mihi benedictionem. Tunc ait illi, quoniã, vt phiala, tu perſtrepis, iccirco dixi tibi, affer mihi phialam. Quemadmodum enim illa, cùm effunditur & euacuatur, perſtrepit, ita & tu perſtrepis verbis. Quæ cùm audiſſet, proſtratus veniã petijt, & abijt ac loco ſuo phialam poſuit. Alias præterea acceſſit ad B. Dorotheum, & percunctatus eſt eum, de quodam ſcripturæ ſacræ verbo. Cœperat enim à puritate, & munditia cordis conſiderare, & intelligere ſacras litteras. Ille verò nolebat eum tunc in his occupare, ſed adhuc potius per humilitatẽ conſeruare cupiebat. Reſpondit itaq; interroganti, ſe neſcire. At ille nihil cogitans, iterum interrogat eum de quodã alio Scripturæ capite. Cui etiã tunc B. Dorotheus ait, neſcio. Sed vade interroga Abbatem. At ille abijt, nihil penitus dijudicans. B. autem Dorotheus iam prædixerat Abbati ſeorſum, ſi venerit Doſitheus ad te, vt interroget aliquid

quid

quid de ſcripturis,increpa illum paululùm. Cùm igitur veniſſet, & interrogaſſet eum, increpauit eum dicens,Cur non taces,cum nihil ſcias? Si talia poſthac interrogare auſis. Cur non potius de tua impuritate,& immunditia cogitas,ac meditaris?Hæc & huiuſmodi cũ dixiſſet, incuſſit illi duas alapas, & dimiſit eum Abbas. Ille verò reuerſus eſt ad B. Dorotheum, oſtendens illi maxillas ex percuſſione alaparum ignitas,ac rubras,& dixit, habeo & firmas,ac ſolidas.Nec dixit illi,cur tu nõ me correxiſti,ſed miſiſti me ad Abbatem? Nihil tale dixit penitus.Sed omnia,quæ ab illo dicebantur, mira credulitate & fiducia ſuſcipiebat, ac citra vllam diſcuſſionem actutum peragebat.Quãdo verò illum de ſuis cogitationibus percunctabatur Dorotheus, tanta ille fidei certitudine, & recta perſuaſione,quæ audierat,ſuſcipiebat,vt nõ opus eſſet amplius iterare, ac bis de eadem cogitatione dicere.Hanc igitur admirabilẽ eius exercitationem,& conſeruationem, cùm ignorarent, (vt dixi) fratres illi, obmurmurabant de abſolutione illa,& reſponſione ſenis. Cæterùm cùm pro tam mira ac ſancta obedientia,& ſimplicitate,repoſitam illi gloriam palàm facere vellet Deus,ac manifeſtare omnibus ſingulare munus, quod B. Dorotheus habebat in regendis ac ſeruandis animabus,quanquam diſcipulus eſſet adhuc, abſque vllo tamen errore,tam breui,atquè adeo compendioſa via perduxit illum ad Deum.Tunc non multis poſt B.Doſithei obitum diebus, quidã Sanctus ac magnus ſenex,qui cum hoſpitibus, qui aderãt

ibi,

ibi, verſabatur, videre cupiebat ſanctos, qui in eo Cœnobio vita defuncti erant, & dormierant. Rogauit itaq; Deum, vt id, quod petierat, manifeſtare illi dignaretur; & vidit veluti in choro illos aſtantes omnes. Inter quos etiam vidit & iuuenem quendam aſtãtem, & ait, Quis nam, obſecro, erat iuuenis ille, quem inter cæteros patres Sanctós aſtantem vidi? Cumq́; formæ illius ſigna, & characteres accuratè deſcripſiſſet, agnouerunt omnes, Doſitheum fuiſſe. Et Deum glorificauerunt, admirantes, de qua vitæ conuerſatione, de quo primo ſtatu, & ratione viuendi, ad quanta præmia, qualemuè menſuram, tam breui tempore, pro ſola duntaxat obedientiæ indiſcuſſa obſeruatione, & abnegatione proprię voluntatis, peruenire promeruerit.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

CREMONAE,

Apud Barucinum Zannium. 1595.

Permiſſu Superiorum.

+15r

R. BIBLIOTECA